

DE  
REBUS EPIDAUURIORUM

SCRIPSIIT  
SIG. WĘCLEWSKI.



**T**erra Epidauriorum, a Graecis ἡ Ἐπιδαυρίων, ἡ Ἐπιδαυρία, Ἐπιδαυρσία χώρα, pluries nomine urbis quoque hujus regionis nobilissimae ἡ Ἐπίδαυρος<sup>1)</sup> nuncupata, qua Pausanias, qui dicitur Periegetes, floruit aetate, nullis satis manifestis finium monumentis a finitimis civitatibus Argolidis fuit secreta, quamvis idem ipse auctor bis, quo loco Epidauriorum ager in suum finem aliarumque terrarum confinia deveniret, accurate demonstraverit. Etenim Lessa, oppidum in colle quondam situm, quem nunc *Ligurio* vicus insidet et in quo usque ad tempora Gellii, qui Peloponnesum totam peragravit egregiumque itineris sui commentarium edidit, parietinae ruinaeque veteris urbis ostendebantur, fuit in contermino agri Argivi; olea autem secundum viam, qua ad montis Coryphaei verticem ascendebatur, quam conjecturam ex Pausaniae, qui in libro II. est, loco facere licet, limes videtur fuisse positus agro Asinaeorum.<sup>2)</sup>

Verumtamen, etsi non omnibus partibus termini regionibus vicinis conspicui constituti fuere, fines hujus urbis montium juga ab Arcadica Cyllene saltuque Parthenio procurrentia, quorum summa cacumina in Epidauriorum terra: *Τίθειον, Κονόρτιον, Κορυφαῖον, Ἀραχναῖον*<sup>3)</sup> nominabantur, a cete-

<sup>1)</sup> Paus. II, 26, 170; 25, 168; 29, 177; a. l. Ibid. II, 26, 171. verba: *Μαρτυρεῖ δὲ μοι καὶ τόδε ἐν Ἐπιδάυρῳ τὸν θεὸν γενέσθαι*, ut verbum e verbo exprimat, sunt convertenda: Testatur autem mihi id quoque in Epidauri finibus deum genitum esse; ratione habita illorum, quae paulo ante Paus. de loco, quo deus genitus esset, narravit. Ibid. II, 29, 178. ubi verba afferuntur: *Ἀργείων Ἐπίδαυρον κατασχόντων*, atque II, 26, 171. in Pythiae responso de regione vocem Ἐπίδαυρος esse dictam puto. V. Berkelii annot. in Steph. Byz. p. 689, 348 a. Scylax i. Peripl. regionem vocat Ἐπιδαυρσία χώρα.

<sup>2)</sup> William Gell, *Reisebericht von Morea*, p. 82. Paus. II, 28, 175. De Chersoneso Methana, quae quasi terminus inter Troezenios et Epidaurios interfuisse videtur, quam Thucyd. IV, 45. *Μεθώνην* appellat, v. Strabo VIII, 6, 15. Paus. II, 34, 190 sqq.

<sup>3)</sup> Ibid. II, 27, 175, sqq. Steph. Byz. s. v. *Κορυφαῖον ὄρος*, quem inspexere, qui quae vulgo laudato Paus. loco legebantur verba: *ἐς δὲ τοῦ ὄρους ἀνωδοὶ τὴν κορυφὴν*, correxerunt, ita ut nunc legatur: *ἐς δὲ τὸ ὄρος ἀνωδοὶ τὸ κορυφαῖον*. Qui vulgatam tuentur lectionem, aut nihil admodum curant, qui mons a scriptore commemoratus sit, aut nimium perspicacitatis sibi sumunt, quum sub finem antecedentis capituli commemoratum montem Cynortium intelligendum esse existiment. At fecit id Berkel. i. Steph. Byz. 914, 471 a; item Thom. de Pinedo, 666, 378 b; qui montem Coryphaeum omnino nullum fuisse contendunt quibusque ea de causa templum Dianae Coryphaeae, quod Paus. et Steph. Byz. in hoc monte fuisse

ris urbibus chersonesi Argolicae disternabant; atque, quod natura ipsa ita has civitates diremit ac separavit, id potissimum videtur effecisse, ut statim ab initio praepotentis Argivorum urbis imperio subtracti cives Epidaurii et ad suum arbitrium et pro suis rebus temporibusque rempublicam componerent vitaeque caperent instituta.

Regio haec pars maritimorum, quae a Graecis Argolica dicebatur Ἀργή, quam praeter Epidaurios incoluisse Troezenios et Hermionenses pro re comperta habemus,<sup>4)</sup> a septemtrione ad meridiem porrecta, qua in septemtriones spectabat, Saronici sinus litoribus in longitudinem triginta stadiorum apposita, quum, qua sol decurrit, Argolicum sinum aequo longo continentis tractu reciperet,<sup>5)</sup> qua sol occidit, Corinthiis et Argivis contermina, qua oritur, Troezeniorum et Argivorum confinio fuit obducta.<sup>6)</sup>

Jam Homero gravissimo teste vinetis uberrima<sup>7)</sup> nec minus campis opimis clivorum magnam multitudinem pererrantibus suoque gramine vestientibus nobilitata,<sup>8)</sup> item clara ob equorum nobilissimum genus, quod eodem atque Arcadicum et Argolicum loco habebatur,<sup>9)</sup> denique insignis facta, quod varia serpentium genera, quorum in primis quoddam fulvo colore erat conspicuum, procreabat,<sup>10)</sup> praeter urbem Epidaurum, ut quum ex incolarum frequentia tum ex institutis civitatis conjici potest, certe frequentibus vicis forisque abundavit.

Nostrae tamen memoriae haud scio an nulla nisi unius vici amplius prodita sint nomina. Qui

dicunt, sua sede moliri et in montem Cynortium transferre placuit. Ipsum Pausaniam adversus eos revolvam. Non videbant viri doctissimi, Pausaniam, (ubi de monte Cynortio mentionem fecit) dixisse, in eo Maleatae tantum Apollinis templum de antiquis operibus exstare omniaque caetera, quae circa templum sint, ea Epidauriis fecisse Antoninum Pium. Jam vero de templo Dianae Coryphaeae disputans addidit idem auctor, de eo templo in cantico quodam suo Telesillam meminisse; quam quum viri illi doctissimi scirent vixisse aetate ea, qua Cleomenes, Anaxandridae filius, Argivorum hostis, Sparta regnaret (Paus. II, 20, 157. Herod. VI, 83; VII, 148.), eos per tantum errorem lapsos esse miror. Nam, quominus templum Coryphaeae Dianae inter opera Antonini numeres, obstant ea, quae de Telesillae aetate scimus, qua etiam templum ipsum vetustius; ne veterem in monte Cynortio hanc aedem esse censeas, ipse Pausanias vetat, qui nullum antiquum opus praeter Apollinis Maleatae templum in hoc monte vidit. De monte Arachnaeo v. Steph. Byz. Paus. II, 25, 169; Gell. p. 83.

<sup>4)</sup> Paus. II, 8, 130. Epidaurios tantum et Troezenios Acten incoluisse perhibet. Plutarchus vero in Arati Vit. (V, p. 575, C. 40. Reiske) narrat, in bello Cleomenico, quum Corinthus ad hostem deditionem fecisset, incolas Actes quoque a Cleomene stetit; atque in vit. Cleom. (IV, p. 567, C. 19.), ubi ejusdem rei meminit, has gentes nominatim profert et in numerum earum Troezenios, Epidaurios, Hermionenses adscribit. Conf. Polyb. II, 52; V, 91. Berkel. s. v. Ἀργή. Strabo VIII, 8, 5. ubi tamen Heynio in observ. in Apollod. II, 8, 5. p. 289. monente verba corrupta et ex Pausania correctata. Wesseling. Diod. Sic. XV, 3.

<sup>5)</sup> Paus. VIII, 1, 589. Strabo VIII, 6, 1. Ersch. Grub. Encycl. I, Sect. 35, p. 375. Scylax in Periplo (cujus libelli singula tantum capita legi, quae ab Eichornio excerpta atque in Graecorum antiqua historia ab ipso edita congesta mihi praesto fuere), memorat, Epidaurum, qua utrumque sinum prospiciat, in longitudinem XXX stadiorum patere. Locum hunc proponam: Ἡ Ἐπίδουρος δὲ χώρα μετὰ Ἄργος, καθήκει γὰρ εἰς κόλπον τοῦτον στάδια λ'. — et post paullum: μετὰ δὲ Τροιζηνίαν πόλις Ἐπίδουρος καὶ λιμὴν· παράπλους δὲ τῆς Ἐπίδουρου χώρας στάδια λ'. Quare in Peloponnesi tabula picta Otfried. Muellerum errasse puto, qui litus, quod Argolicum sinum recipit, brevissimum effinxit.

<sup>6)</sup> Paus. II, 25, 168; 30, 181. a. l.

<sup>7)</sup> Hom. Iliad. II, 561. Eustath. p. 233, 20. Gell. p. 83. regionem inter urbem et Junonis templum sitam nunc quoque abundare vinetis reperit.

<sup>8)</sup> Steph. Byz. s. v. Ἐπίδουρος, ejusque interpretes; Etymol. Magn. 566, 34. Eustath. l. l. Ersch. Grub. l. l. — De Lacedaemoniorum Epidaurio v. Paus. III, 23, 271. Ibid. II, 26, 171. in Pythiae responso Epidaurus χραναή dicta, quod adjectivum additum esse censemus, quo accuratius locus, ubi deus Aesculapius genitus sit, indicetur atque definiatur. Ne totam regionem saxosam asperamve credas, multa prohibent. Amasaenus male vertit: In campis, Epidaurum, tuis etc.

<sup>9)</sup> Strabo VIII, 8, 1. Virg. Georg. III, 44.

<sup>10)</sup> Paus. II, 28, 175. ubi nescio an post verba δράκοντες δὲ particula τὲ suppressa sit.

vicus, cui Aeginae cognomen fuit, si eodem loco situs erat, quo nostra aetate Gellius vicum eodem nomine adierat, ab Aesculapii luco horae unius paene iter, ab urbe vero Epidauru paullulo amplius aberat et ex via, qua ad lucum sacrum descendebatur,<sup>11)</sup> videtur conspici potuisse.

Ipsam autem caput regionis, haud praetermissuri caetera cognomina, quae tamen unde assumpta et quam ob causam urbi data sint, in dubium vocari nequit, jam videamus, unde *Λειμήρης* nomen invenerit. Quam vocem enucleaturo summae difficultates se praebent novimusque in eo jam veteres interpretes, praesertim Herodianum, haesitasse, qui quum nullam rationem viamque invenire potuisset, qua se inde expediret, rem integram reliquit, ita ut usque adhuc, ut forensi utar vocabulo, lis sit sub iudice.

Atqui illa vocis hujus enodatio, quam Stephanus Byz. proposuit, licet non sit plane perspicua, tamen quum non repugnet iis, quae de regionis Epidauriae natura graeci auctores tradiderunt, neque alia, quae vocis etymologiam accuratius sequuta sit, explicatio suppetat, non possum facere, quin in illa Stephani sententia acquiescam, qui adject. *λειμήρης* idem atque verba *λειμώνας ἔχουσα* significare contendit, quum *λειμηρά* Strabone monente (VIII. 6, 1.), quod est cognomen Epidauri in Laconica urbis, decurtatam esse vocem *λειμηρά*, cui vis adject. *ἐβλίμενος* subjecta sit, vix improbari possit. Sed in utriusque auctoris sententiam discedens tantum abest, ut Epidaurum Argolicam portu instructam negem, ut etiam spatioso usam fuisse credam, praesertim quum me non fugiat, quam exigui angustique fuerint Epidauriorum fines et quot naves exornatas variis diversisque temporibus in Graeciae sociorumque salutem contulerint. Parum tamen idonea nec satis probata opinio esse illa videtur, qua Ottfr. Muellerus ducitur, qui contendit, Hesychii illa: *Δίστομος· οὕτως ἢ Ἐπίδauρος ἐκαλεῖτο, ἐπεὶ ἀμφιστόμοις λιμένα ἐπέχρητο*. ad Epidaurum Argolicam spectare.<sup>12)</sup>

Jam vero ad reliqua urbis cognomina explicanda accedamus, quorum *Μελισσία* in honorem deae Melissae Berkellius inditum fuisse urbi censet.<sup>13)</sup> Quae dea, auctore Mnasea Patareo (apud Pindari Schol. ad Pythic. IV. 104. p. 381.), prima favos apum inventos edit aut aqua admixta bibit, et ipsa Peloponnesiis persuasit, ne carne vescerentur neve ipsi se alii alios devorarent, sed ut cibum ex arboribus sibi quaererent. „Quare quum Graeci ab iis, qui aliquid ad communem utilitatem fructumque generis humani attulerint, regionibus et urbibus nomina dare consueverint, a dea quoque hoc cognomen urbem traxisse adducor.“ Ita quidem Berkellius. At mihi aliam rem ex alia cogitanti et unde urbs hoc cognomen cepisset animum attendenti, Melissa, filia Proclis, tyranni Epidauriorum, quam maritus, Periander, Corinthiorum tyrannus, quum ira excanduisset aliquando, occiderat cujusque corpus in suburbano Epidauri agro sepultum erat, in mentem venit; nec jam video, cur potius in honorem illius deae quam hujus regiae feminae nomen datum fuisse urbi placeat. Nam licet dea Melissa antiquitus ab omnibus Peloponnesiis summe culta fuerit, nihil tamen a graecis scriptoribus accepimus, non dico de singulari quodam sed de aliquo honore, qui illi deae ab Epidauriis habitus esset; Melissae contra, filiae Proclis, quamquam ne hoc quidem firmissime asseverare audeam, immerita morte affectae memoriam urbi hoc cognomine imposito forsitan servare immortalemque reddere voluerunt grati cives.

*Λίμηρα* quoque dicebatur urbs, quod Aesculapii ara continuo sacrificiorum sanguine made-

<sup>11)</sup> Gell. p. 83.

<sup>12)</sup> Muell. Dores, II, p. 435. Scylax in Periplo ignoravit portum *ἀμφιστόμον* fuisse. Gell. p. 83. haec fere verba profert: „In chersoneso, quae magna fronte in altum se evehit et brachiis in anfractum convolutis egregium portum usque ad nostram aetatem amplectitur, antiqua urbs sita fuit. Exstant quoque moenium antiquorum pauca fragmenta et statua in isthmo conspiciunt vetus. Qui vero vicus nostra aetate dicitur *Epidauru*, is in prima paeninsula situs.“

<sup>13)</sup> Berkel. p. 688, 347 a; Thom. de Pined. s. v. *Ἐπίδauρος* et Eustath. l. 1. scribunt *Μελισσία* aut *Μελισία*.

bat; <sup>14)</sup> deinde, quam ob rem, antequam Epidaurus in illam regionem advenisset, *Ἐπίταυρος* nominata esset, id Strabo et Steph. Byz. aliique explicaverunt, qui Cares illis temporibus urbem tenuisse nos edocent. <sup>15)</sup> Denique nomini urbis, quae ab oppidis cognominibus distingui posset, addebantur: *ἡ πρὸς τῶν Ἀργείων* aut *ἡ ἐν τῇ Ἀργολίδι*. <sup>16)</sup>

Montibus altis passuum duobus millibus a mari distantibus inclusa, ita ut natura loci jam undique esset munita, et aestivo orienti opposita urbs haec haud ignobilis ad intimum Saronici sinus recessum adjacens late patebat, nam litus, quod premebat, usque ad Junonis templum in alto promontorio situm praetervehenti quindecim stadiorum iter erat emetiendum. <sup>17)</sup>

Sed splendidissimam reddidit urbem et summam eamque celebratissimam comparavit gloriam et regioni et urbi ipsi Aesculapii caerimonia, quamvis juxta hunc deum aliis quoque diis quum ab omnibus Graecis tum ab incolis hujus terrae cultis non minor honos tribueretur. Verumtamen Aesculapio potissimum sacra <sup>18)</sup> tota regio per deum ejusque venerationem ipsa sanctissima habebatur, sanctitatemque hanc ei Graeci pio animo tribuentes *ἱερὸν Ἐπίταυρον* appellabant. <sup>19)</sup> Ceterum num quis est qui dubitet, quin pietatem illam auxerint quoque atque aluerint innumerabilia templa, sacra, fana, deorum signa, nemora numinibus consecrata, quae usquequaque tota regione conspiciantur? quae aedes diversis separatisque temporibus exstructae unicuique Graecorum etiam multo aetate posteriorum aut integrae stantesque aut truncae et collapsae ruinis pristinam terrae gloriam et splendorem in memoriam reducebant. His autem aedificiis, quae diis patriis dedicata religiosissime colebantur, intermixta erant monumenta, quae rerum aut commenticiarum fabulisque fictis concelebratarum aut a majoribus gestarum memoriam renovabant, ita ut Graecorum, si qui hanc parvulam terram obirent, animi modo deorum verecundia et pietate commoverentur, tum autem dolore quodam moestitiaque afficerentur, quum passim disiectas ruinas praetereuntibus minantes aedes adirent.

Quo melius haec omnia templa sacra ac monumenta grati piique animi, ea quae de his rebus scriptores Graeci et Romani literis mandaverunt sequuti et ordinem quandam, quoad ejus fieri potest, conservantes perlustremus atque adeamus, lustrationem ordiamur inde ab ea regionis Epidauriae parte, qua a Corinthiorum finibus Epidaurum petentibus obvium erat pulcherrimum Junonis templum (*Ἡραῖον*), quod in projecto in aequor promontorio situm longinquas Saronici sinus undarum fluctuationes Aeginamque insulam contuebatur. <sup>20)</sup> De cujus forma interiorumque partium genere structurae nihil quidem omnino accepimus; idque solum nostrae memoriae prodiderunt rerum gestarum

<sup>14)</sup> Berkel. *ibid.*

<sup>15)</sup> Eustath. et Berkel. *ibid.* Strabo VIII, 6, 15. ubi in editionibus *Ἐπίταυρος* ex Eustathio Casaubono monente correctum, ut *Ἐπίταυρος* legatur.

<sup>16)</sup> Paus. X, 9, 820. Errat Berkelius p. 687, 347 a. quum a Xenophonte (Hell. VII, 1, 13.) ad distinguendam Epidaurum ab aliis hoc nomine urbibus *Ἐπίταυρον τῶν Ἀργείων* dictam contendat; nam *τῶν Ἀργείων* respiciunt ad antecedens *ἐμβάλόντων*, ita ut vertendum sit: Nam quo tempore Argivi Epidauriorum fines ingressi sunt etc.

<sup>17)</sup> Strabo *ibid.* Sequutus sum nunc jam ab omnibus probatam scripturam: *τὸν παράπλοον ἔχουσα σταδίων πενταχάδεκα*, quum antea libri haberent *περίπλοον*. Templum Junonis satis magno intervallo inter ipsum et urbem interjecto ultra portum ad occidentem versus in terra in altum excurrente situm fuisse persuasum habeo; alioqui enim urbs ipsa spatiosior fuisset quam pro longitudine totius litoris Epidaurici.

<sup>18)</sup> Paus. II, 26, 170.

<sup>19)</sup> Plut. Pericl. I Vol. p. 661. C. 35. Paus. II, 1, 112.

<sup>20)</sup> *Ibid.* II, 29, 177. Thuc. V, 75. In bello Peloponnesiaco Athenienses cum sociis suis loco hoc edito temploque occupato urbem vehementissime urgebant, quoad a Lacedaemoniis ipsi auxilia venissent. De Junonis cultu v. Creuzer. *Symb.* II, p. 386. Gell. p. 83. templum eodem loco fuisse contendit, quem tenuisse nos diximus, dum Blomfield. illud in oppositam urbis regionem transfert.

scriptores, propter naturam opportunitatemque loci illud templum firmissimum fuisse urbis propugnaculum, eoque expugnato ab hostibus in summas angustias compelli urbem, quin etiam praesidio illic imposito portum atque adeo urbem ipsam teneri potuisse.

In arce vero lignea quidem sed eadem affabre facta statua erat Cissaeae Minervae, quam deam Cissaeam cognominatam nonnulli Pausaniae interpretes censent de hedera, ut hederacea dici possit, quippe cujus signum ex hederæ ligno sculptum fuerit.<sup>21)</sup>

Jam in urbe templa habuere Venus, Bacchus, Diana, in cujus luco sacro statua quoque instar venantis facta deae erat constituta;<sup>22)</sup> denique nobile fuit Aesculapii fanum, in quo signa dei ejusque conjugis Epiones e lapide Pario ab opifice quodam ignoto fabricata.<sup>23)</sup>

Atque cum eae sint celeberrimae sacrae aedes in urbe ipsa, quae Pausaniae admirationem moverint, porta, quae in regione urbis meridiei objecta fuisse videtur, exeuntes viae nos committamus illi, quae Lessam et in fines Argivorum ferebat. Haud procul ab urbe progressi omniaque oculis collustrantes primum animum advertimus sepulera Melissaë, Periandri, Corinthiorum tyranni, conjugis, ejusque patris Proclis, Epidauriorum tyranni.<sup>24)</sup> Quae sepulera quamvis rerum olim gestarum memoriam referant, tamen illa nunc abjecta ne ab iis, quae ad hujus partis institutum pertineant, ad alia aberremus, sepulcrisque relictis in agrum Hyrnethium continuo ingrediamur, qui tumulo jugulatae a fratre Hyrnethonis, uxoris illius Deiphontis, qui Epidauro potitus erat, valde fuit insignis.<sup>25)</sup> Namque ager hic illi feminae, quae celebratissima Epidauriorum heroina exstitisse videtur, sacer habebatur, ita ut sancitum esset, ne quae aut de oleis aut ex alia ulla arbore in eo agro enata vi aliqua abscissa avulsave a quoquam asportari ad profanum ullum usum possent, sed, quod sacra essent Hyrnethoni, omnia illic ut relinquerentur. Oleastri vero hoc loco potissimum proveniebant. Jam ipsi Hyrnethoni, praeterquam quod a conjuge heroicum monumentum conditum erat, alii quoque honores sunt habiti; sed quinam illi fuerint, Pausania reticente ignoramus.

Ex agro hoc eandem viam insistentibus mons Coryphaeus facilem aditum ascensumque praebuit, in cujus vertice Dianam Coryphaeam templum habuisse, quod Pausaniae aetate integrum jam multis saeculis ante a Telesilla,<sup>26)</sup> quae et carmina contexisse neque ab armis abhorruisse traditur, commemoratum fuisse diximus. De vertice vero montis descendentes in oleam illam, cujus initio disputationis mentionem fecimus, intortam incidimus, quam manu ab Hercule in orbem circumductam eam figuram accepisse rumor fuit quaeque determinasse videtur Asinaeorum fines.

<sup>21)</sup> Paus. I. l. VIII, 13, 626. Minervam Cedreatin (*κεδρεάτις*) in Arcadam urbe Orchomeno cognomen traxisse perhibet ex signo, quod ei ex cedri ligno factum sive quod cedrinum fuerit. Quod exemplum sequuti haud inepte Minervae Cissaeae interpretati esse nomen videntur, qui ejus signum ex hedera factum censuerint.

<sup>22)</sup> Paus. II, 29, 177. Vulgo legitur: *εικάσαις ἂν θερούση τὴν Ἀρτεμιν*. Sed neque exurentem alias unquam Dianam dictam reperies, neque scio, qua de causa et quomodo similis urentis torrentisque species in signo includi potuerit, et quum Dianam venatricem depictam et cognominatam saepissime haud ignoremus, Sylburgii conjecturam, qui pro *θερούση* posuit *θηρευούση* accommodatissimam probamus.

<sup>23)</sup> Paus. ibid. Etymol. Magn. 434, 17, s. v. *ἔπιος*. De Epione v. Creuzeri Symbol. De vocatione nominis dei Aesculapii v. Plutarch. X Orator. vit. (V. IX, p. 360.) ubi narrat, Demosthenem etiam per Aesculapium jurasse, perperam nomen dei pronuntiantem, qui semper antepenultimam syllabam accentu efferret (*προπαροξύτων Ἀσκήπιον*), quoniam deus *ἔπιος* esset. Saepe vero eum propter ea exsibilatum et explosum fuisse addit Plutarchus.

<sup>24)</sup> Paus. II, 28, 177.

<sup>25)</sup> De Argivorum Hyrnethonis tumulo, id. II, 23, 163. — II, 28, 176, sqq. Steph. Byz. hunc agrum *Ἰρνήθιον* filiamque Temeni *Ἰρνήθω* vocat.

<sup>26)</sup> V. ann. 3. De Telesilla Paus. II, 28, 175; 20, 157. Plutarch. *γοναϊκ. ἀρετ.* Vol. VII, p. 10 sqq. De vocis vocatione v. Herrmanni d. emend. r. gr. gr. p. 441, 92. *Τελεσίλλα*.

Ea ipsa via, qua modo de monte Coryphaeo descendimus, fortasse pertinebat ad montes Tithium et Cynortium, qui sacrum Aesculapio lucum omniaque intra septum exstructa fana aliasque ad profanum usum factas aedes circumdabant et ad quos sine dubio recto quoque itinere, de illa qua nos Epidaurum egressi incessimus via aliquantulum declinato, ex ipsa urbe perveniri poterat. Illorum montium, quos nominavimus, prior, antea Myrtius cognominatus, fabulis Epidauriorum natalia Aesculapii celebrantibus memoratus fuit; nam in eo, quae fuit stabilis certaue omnium hujus regionis incolarum opinio et religio, Coronis, filia Thessali Phlegyae, regis Orchomenii, ab Apolline compressa Aesculapium clam enixa exposuit; in eo infanti derelicto capra ubera admovit, dum canis eam custodivit; ibi denique caprarius, cui Aresthanas nomen fuit, quum a reliquo grege in pecore recensendo capram unam simulque canem aberrasse animadvertisset et totum saltum studiose quaeritans peragrasset, infantem invenit et igne, qui ab illo effulserat, deterritus deum ex his prodigiis agnovit eaque omnia divulgavit.<sup>27)</sup>

Age nunc intremus lucum sacrum, qui ab urbe quinque millibus passuum distans<sup>28)</sup> ejusmodi saepibus circumdatus fuisse videtur, quibus cinctum Aricinae Dianae nemus ex Ovidio colligi

<sup>27)</sup> Huic fabulae Paus. II, 26, 171; duas quoque alias, quae de natalibus Aesculapii vulgatae erant, addidit. Altera proditur, Coronidem in Thessalia ad flumen Lethaeum (Strab. XIV, 1, 39, p. 647.) aut ad lacum Boebiadem (Schol. Pind. Pythic. III, 59, p. 332); aut in Dotio campo (auctor hymni hom. in Aesculap.) Aesculapium genuisse; sed quum ex Apolline jam Aesculapio gravis esset, cum Ischye, Elati filio, concubuisse eam et ob id interemptam a Diana, quae Apollini factam injuriam ulcisci vellet; ardente vero jam rogo e media flamma puerum a Mercurio ereptum fuisse. Cic. d. nat. d. III, 22. Apoll. III, 10, 3. Tertia fabula docemur, Aesculapium Arsinoë, Leucippi filia sororeque Hilaerae et Phoebes natum in Messenia. Quae tamen fabula Pausaniae ipsi longissime a veritate abhorre videtur multisque documentis additis contendit, et deum in Epidauriorum finibus natum et cultum ejus ex hac regione in alias propagatum fuisse. Paus. II, 26, 171; 172 ad Cyrenaeos. IV, 3, 284; 31, 358; IX, 36, 782, sqq. Cic. l. 1. In quas vero civitates urbesque Graeciae potissimum ab Epidaurum hujus dei cultus deductus sit, id attingere saepius occasionem nanciscemur; quare hoc loco id tantum commemoramus, deum quoque hinc Romam deductum (signumque ejus) extra urbis portas aedem habuisse. Qua de re v. Plut. Quaest. Rom. (VII, p. 153), ubi inquiritur, cur deo extra urbem templum sit aedificatum. Quo tempore vero et quam ob causam deus ab Epidauriis petitus sit, v. Valer. Maxim. II, 8, 2. Denique memorabilis est locus quoque in VII, (23, 583) Pausaniae, unde apparet, opinionem tota Graecia percubuisse, Aesculapii patrem quidem Apollinem, matrem nullam esse mortalem. Atque de natura Aesculapii considerantes ita argumentati sunt Graeci: Aesculapium nihil aliud esse quam aërem, ex quo bona valetudo (*Hygieia*) tam hominibus quam cunctis aliis animantibus existat; Apollinem igitur qui sol ipse sit, jure patrem Aesculapii perhiberi, quod accommodatum anni temporibus cursum peragens aëri salubritatem impertiat. Cf. Ersch. Grub. Encyclop. s. v. Asclepios. Creuzer Symb. — Quae de prognatis dei relata sunt, ea nunc breviter liceat nobis attingere. Conjux quidem Aesculapii nominatur Epione, sed etiam alteram uxorem habuit, Lampetiam; ex quibus procreavit plures liberos, quorum clarissimi Machaon et Podalirius, paternam edocti artem, Agamemnonis ad Trojam militiae adscripti, in hoc bello magno Graecis usui fuere. Nam quod industria singulari vulneratos in proelio curabant, multum apud Graecos gloriae suis sibi meritis comparaverunt, adeo ut neque proelio decertare cogenter et omnium publicorum onerum prae ceteris essent immunes propter eximiam medicinae, quam factitabant, utilitatem. Diod. Sic. IV, 71. Paus. III, 26, 278, s. f. Praeter hos tertius quoque filius, Janiscus, nepos ex Machaone Alexanor, (Paus. II, 11, 137.) filiae vero Hygiea, (id. VII, 23, 583.) Panacea (ib. I, 33, 84.), Aegle (id. IX, 35, 781.), Jaso (I, 33, 84.) Aceae vocantur; (Aristoph. Plut. 701. Etymol. Magn. 434, 15.) quamquam alii Hygieam deo nuptam Jasonemque filiam Amphiarai fuisse perhibent. (Aristoph. ib.) Quum autem Aesculapius propitius benevolusque hominibus esset, cognomina multa, quae hanc dei naturam significarent, ei data sunt, quorum notissima: Archagetas (Paus. X, 32, 879.), Cotyleus (id. III, 19, 258.), Philolaus (id. III, 22, 267.), Soter, aliaque, dum Romani deum Augustum, Dominum, Sanctum vocabant. Praeterea ex locis, ubi colebatur, aut aliis ex rebus nonnulla traxit cognomina, quae sunt: Anlonius (id. IV, 36, 373.), Demaenetus (id. VI, 21, 507.), Epidaurius, Gortynius (id. II, 11, 137.), Hagnitas (id. III, 14, 242.), alia. De Aesculapio Causio, quem Steph. Byz. s. v. *Καυσιος* profert, v. Paus. VIII, 25, 648. et utriusque interpretes. Socii vero deo addebantur: Euamerion, Acesius, Telesphorus. (Paus. II, 11, 137.)

<sup>28)</sup> Valer. Max. I, 8, 2. Liv. XLV, 28. Voyage d. j. Anach. IV, p. 346.

potest.<sup>29)</sup> Termini igitur vel lapidei vel lignei, forsitan virgultis interpositis juncti, eas saepe efficiebant. Quod vero sanctitas loci postulabat, id religiosissime observabatur; quare ne sordibus compleretur, quibuscunque rebus pollui videbatur, eae diligentissime removebantur. Ob id ipsum intra ejus ambitum mori quemquam aut nasci religio erat, eodem scilicet ritu, qui in aliis quoque sacris locis respiciebatur. At, quidquid civis peregrinusve immolavit, id totum intra eundem ambitum consumebatur, quem morem Titanæ etiam observatum Pausanias novit.<sup>30)</sup>

Intra lucum autem nobilissima atque augustissima fuit aedes clarum Aesculapii templum, in cujus fronte supra portam egregia gravissimaque verba incisa: „Aditus in hoc sacrarium non est hominibus nisi pura anima“ unumquemque ex intrantibus, ut Anacharsis utar verbis, graviter adhortabantur, ut animi sui sensus abditos specularentur ac perscrutarentur omnique impietate abstinerent.<sup>31)</sup> Jam in delubro dei simulacrum dimidio fere minus, quam quod Athenis Jovis Olympii conspiciebatur, puteo imminebat idque ex auro et ebore factum opus fuit Thrasymedis, Arignoti filii, Parii hominis, ut inscriptio testabatur. Deus igitur barbatus sedebat in solio, scipionem altera tenens manu, altera serpentis caput premens, cane ad pedes decumbente. Cur canis additus fuerit, id causae esse videtur, quod deum uberibus caprae altum a cane custoditum fama nuntiavit, nisi forte majorem fabulae, quam Lactantius literis mandavit, fidem habere vis, quod deo canis ipsa mammam praeberit.<sup>32)</sup> Quod ad serpentem pertinet, is sacer fuit Aesculapio atque serpentes ab Epidauriis pariter atque ab Atheniensibus cultos novimus, qui cultus inde est repetendus, quod homines a mortuis excitatus Aesculapius verbenis a serpente inventis (*βάλανος*) tanquam medicamento usus esse dicebatur.<sup>32b)</sup>

In ipso solio autem, in quo Aesculapius sedebat, Argivorum heroum opera fuerunt caelata: Bellerophon Chimaeram conficit; Perseus Medusæ caput abscisum tenet. Quae opera in qua solii parte fuerint, Voelckelius demonstrare conatus est.<sup>33)</sup>

Quae cum ita sint, videamus nunc, quatenus hoc Epidaurici Aesculapii simulacrum, quod et ad eas res, quae deo attribui solebant et ad fingendi rationem attinet, ab aliis, quae in Graecia inclaruerunt, discrepaverit. Atque dum Epidauri et in Phocide ad Tithoream barbatus conspiciebatur deus, Sicyone fuit imberbis ibique altera manu scipionem quidem, altera vero sativæ pinus fructum tenuit, quem tamen scimus serpentis indutum specie bijugis ab Epidaurio Sicyonem deportatum fuisse. Quod simul Pausaniae opinioni, in quam nos quoque discessimus, fidem addit, qua ductus dei cultum ab Epidauriis in alias Graeciae regiones prolatum fuisse affirmat. Aliis vero locis interdum galus super manu Aesculapii fingebatur, quo matutinum tempus et solis ortum appetentem deum opi-

<sup>29)</sup> Ovid. Fast. III, 267. Paus. II, 27, 172. Vox ὄροι omnino iis, quae Paus. de luco narrat, melius respondere videtur, quam quae vulgo legitur ὄρη.

<sup>30)</sup> Paus. ibid. idem in insula Delo observari dicit; quod Thuc. confirmat in III, 104. ubi de expiatione hujus insulae loquitur, item Strabo X, 5, 5. verbis: *ὁ δὲ γὰρ ἔξεστιν ἐν — Δήλῳ θάπτειν οὐδὲ καίτιν νεκρόν.*

<sup>31)</sup> Voyage d. j. Anach. IV, 350. et qui illic citantur auctores.

<sup>32)</sup> Paus. II, 27, 172. Quatremère in Jupit. Olympique p. 352. sqq. opus hoc inter Olympiadem CXX et CLV factum suspicatur; aetas tamen Thrasymedis a Plinio non dicti ignota esse videtur. Simulacrum dei puteo impositum fuisse ipse Paus. dicit in V, 11, 404. s. f. — Lactantius de falsa relig. c. 10, 2. Ne tamen nimiam fidem huic fabulae adjungas, deum lacte canino nutritum fuisse, quum ea, quae in sermone omnium versabatur Epidauriorum, deum a cane custoditum, satis jam probetur, cur canis deo appositus fuerit. Paus. II, 26, 170. Ann. 27.

<sup>32b)</sup> Pausan. II, 28, 175. Herod. VIII, 41. Plin. hist. natur. XXIX, 4. Voyage d. j. Ann. IV, p. 355. Valer. Max. I, 1.

<sup>33)</sup> Voelckel. de magno templo et signo Jovis Olympii, p. 186. Unde factum sit, ut Bellerophon Argivis heroibus adnumeretur, v. Paus. II, 4, 119, sqq.

fices significare voluerunt, nempe quod tempus matutinum solisque orientis aegrotis aut convalescentibus saluberrimum esset. Alii autem gallum ob vigilantiam, alii ob medicorum divinationem additum putant. Ceterum qui fabricati sunt signa dei pictoresque, id omnes studuerunt, ut in eo affinitatem, qua cum numinibus lucem salubrem homini praebentibus conjunctus esset, effingerent. Quapropter ad trium supremorum deorum similitudinem plerumque accedebat; sed defuerunt ei majestas insigniaque potentiae, quae Jovi adhaerebant, caruit membrorum robore et nervositate, quod Neptuni proprium erat, nec adfuit gravitas severitasque Plutonis. Caesaries quidem, ut Jovis et Neptuni, horrida sed minus densa; et crispuli cincinni circum tempora in humeros ac cervicem decidebant. Sive sedebat, sive stabat, corporis fuit habitu nobili et pleno gravitatis, quam frons serena, os vultusque liberalitate et affabilitate temperabant, ita ut sapientiam, comitatem, benevolentiam dei virtutes esse credas. Quam ob causam opifices pallio quoque philosophorum sinuoso deum velare solebant, quo majestas ejus magis augetur. Nonnunquam quidem laurus caput filii Apollinis premebat; interdum cortina deo attributa, qua aut oracula data aut fontes medicati ab ipso aperti significarentur. Nani denique pusilli aut infantis induta specie efficiebatur deus, qualem in Arcadia inventum et Trygoni nutrici traditum ferunt, totusque ita effectus abdebatur amiculis, ut nihil nisi facies, manus pedesque imi ex pallio exstantes conspicerentur. Qui, quare id fieri solitum esset, inquisiverunt, suspicantur eo consilio factum, ut convalescentes aegrotive, quum deum amictu gravi ab iniquo coelo tutum viderent, et ipsi monerentur, ut tempestatis ratione habita vim ejus funestam metuerent. Quomodo cunque vero fingebatur deus, usquequaque tenebat scipionem serpente circumplicatum, idque peculiare est dei insigne. Ita eum aut ex auro, ebore, marmore fabricati sunt aut pinxerunt aut in gemmis insculperunt modo solum, modo filiabus geniisve comitatum clarissimi opifices: Phidias, Alcamenes, Scopas, Bryaxes, Praxiteles, Damophon, Messenius (Paus. IV, 31, 358.), Niceratus, Calamis Sicyonius, Strato et Xenophilus Corinthii (Paus. II, 23, 164.), Cephisodorus; quibus adde Socratem, qui deo filias, Hygieam, Aeglen, Panaceam, Jasonem circumdedit. In nummis autem aliis diis, saepissime Apolline, comitatus conspicitur. Non est, quod mireris, in deo fingendo, qui valetudinem hominibus impertiret quemque omnes pio animo adorarent, clarissimos statuarios et pictores vires ingenii esse periclitatos; nec tamen opera ipsa illorum opificum usque ad nostra tempora permanserunt, quae ne conjectura quidem informare possemus, nisi imitando efficta et expressa aut in gemmis nummisve plerumque inclusa dei effigies exstaret.<sup>34)</sup>

Jam supra templum Epidauri fuere conclavia aut coenacula, in quibus qui precatum deum venerant aut soli aut cum aedituis dormiebant. In templo quidem Epidaurio nonnisi aegroti, ut malis liberentur deum deprecaturi, donis ibi depositis noctem videntur transigere consuevisse. Nam mos fuit, ut de consilio aeditui somno se darent, altum silentium agere jussi, etiamsi quid strepitus audirent, atque praesertim somnia memoria tenere, quae ipsis deus largiturus esset. Deinde luminibus ab aedituo extinctis, qui nihil habebat quod ocius faceret, quam ut dona deo oblata auferret, aegri

<sup>34)</sup> Valer. Max. I, 1, 3 extr. Paus. X, 32, 879. Haud procul a Tithorea pusillum fuit dei simulacrum, duos amplius pedes altum, ut vulgo verba a Paus. scripta accipiuntur: ἐν μέσῳ δὲ ὅ τε ναὸς καὶ ἀγάλμα λίθου πεποιημένον, γένεια ἔχον, μέγεθος καὶ ὑπὲρ δύο πόδας. Attamen (quod Siebelis monet) distinctione post ἔχον sumpta, barbam duos amplius pedes longam fuisse intelligi potest, neque id inepte, quum Aesculapium alias βαθυπόγωνα et εὐγένειον dictum sciamus. V. Paus. II, 10, 134; 13, 141. Plut. Pyth. orac. VII, p. 575. Luciani: Bis Accusat. II, p. 627. Basil., ubi ab interprete additum, gallum deo attributum ob vigilantiam. Paus. VIII, 25, 651. commemorat, in Arcadia deum puerum fuisse et fictum et cultum; in ejus templo ibidem sepulcrum quoque fuit nutricis Trygonis; Titanes vero totus pallio velatus et candida lanea tunica amictus, ut tantum facies, manus, pedes imi exstarent. V. denique Paus. II, 11, 137. Ersch. Grub. Encycl. s. v. Asclepios.



expectatione atque doloris morsu excitati et commoti, quorum animos insuper insolentia novitasque rei perturbabat, mox vocem dei audire credebant, qui remediis necessariis communicatis simul indicabat, quid ipsis agendum esset, ne remedia vana et inutilia existerent. Neque tamen, quum Epidauri supplices tantum in templo dormivisse putem, cujus opinionis auctores mihi sunt Jamblichus (in libro de mysteriis) et Strabo (VIII, 6, 15.), qui dicunt „in templo Aesculapii, quod in Epidauro sit, aegrotos consuevisse somnia captare, e quibus prosperam valetudinem conijcere possent“ eundem morem in aliis quoque Aesculapii templis observatum affirmem; quin immo traditur, in aliis fanis hujus dei aut aedituos solos aut una cum supplicibus dormire solitos fuisse, quamquam ne hanc quidem famam pro satis comperta et explorata habeam, quum plerumque in libris voces *οί ίκέται* et *οϊκέται* alternent et interpretes, qui codices inspexerunt, de ea re magnopere sententiis variant.<sup>35)</sup>

Prope templum rotunda figura fuit aedificium, a Graecis *θόλος* dictum, a Polycleto e candido marmore summo artificio exstructum.<sup>36)</sup> Alia quoque Aesculapii templa hujusmodi aedificia in propinquo habuisse accepimus, quae eo consilio facta esse narrantur, ut omnia, quae in quotidianum usum quum caerimoniarum tum sacerdotum et aedituorum caderent, in iis deponerentur.<sup>37)</sup>

De structurae genere atque unde iis nomen inditum sit, nonnulla Etymol. Magn. profert.<sup>38)</sup> Epidaurici vero *Tholi* interiores parietes vestiti erant praeterea Pausiae pictoris operibus; atque in altera tabula pictus Cupido abjecto arcu et sagittis lyram tenuit, in altera Ebrietas bibit e vitrea phiala, quae quidem ita in tabula fuit expressa, ut per ejus perspicacitatem muliebri os se ostenderet.<sup>39)</sup>

De ceteris memorabilibus monumentis, quae Pausanias intra nemoris sacri ambitum viderat, prima putamus pilas, quae praeis temporibus multae, hujus scriptoris aetate sex tantum reliquae steterunt, a viris aut feminis a deo curatis et sanatis, ut grati animi officia persolverent, positae. In iis autem nomina illorum incisa, addito morborum, quo quisque laboraverat et liberatus erat, nomine et curationis ratione, eaque omnia dorica lingua scripta fuere.<sup>40)</sup> Quarum pilarum una a cive quodam Halicensi deo dedicata maximo momento fuit, quod ex ea sola Pausanias intellexit et comperit, Halicen urbem tunc desertam, quondam hominum frequentia floruisse.<sup>41)</sup> Seorsum ab aliis alia fuit antiqua pila, in qua incisum, Hippolytum Aesculapio equos viginti dicasse, ut suspicari potes, gratia

<sup>35)</sup> Paus. II, 27, 173. Voyage d. j. An. I. I. male vertit: *auprès du temple est une grande salle etc.* graeca: *τοῦ ναοῦ δὲ ἐστὶν πέραν.* Cic. de divin. II, 59. III, 89. Aristph. in Plut. 662.

<sup>36)</sup> Paus. II, 27, 173; III, 12, 232. extr.

<sup>37)</sup> Barth. Stat. Silv. I, 44, 99. Etym. Magn. *θόλος κυκλοτερές οἶκημα εἰς ὃ τὰ καθ' ἐκάστην ἡμέραν εἰς χρῆσιν πίπτοντα ἀπετίθετο.* De vocis etymol. v. ibid. 282, 26.

<sup>38)</sup> De structura ibid. 453, 30. de genere vocis, ibid. feminino quoque genere dicebatur *ἡ θόλος*; atque ejusmodi rotunda figura aedificia appellabantur etiam *θολίαι*; ibid. 717, 42; de vocalatione, ibid. 444, 9.

<sup>39)</sup> Quid illic Cupido sibi voluerit, ea de re discrepat. Cupidines Musarum socios novit Anacreon, 30; Bion 4. V. Voyage d. j. An. IV, 355. Signa Ebrietatis commemorantur a Creuzero Symb. III, 227. Paus. IV, 24, 515. Hor. Od. I, 18. Ebrietati comitem associat: *Fidem arcani prodigam, vitro perlucidiorum*; atque reconditos in ea mores, praecipue animi levitatem Pausiam perlucida phiala facta effinxisse Mitscherlich. censet.

<sup>40)</sup> Paus. II, 27, 173.

<sup>41)</sup> Id. II, 36, 196. *καὶ Ἀλικὸς λόγος ἐν στήλαις ἐστὶ ταῖς Ἐπιδαυρίων, αἱ τοῦ Ἀσκληπιῶ τὰ ἰάματα ἐγγεγραμμένα ἔχουσαν.* Quod nonnulli correxerunt: *Ἀλικῆς λόγος*, id non videtur dignum, cujus ratio habeatur; quae vulgo leguntur tuenda et vertenda: Halicensis narratio, id est, narratio ab aliquo cive Halices urbis confecta. Namque de urbe ipsa Halice nihil certe in ea pila nuntiabatur, quoniam Pausanias, si ita se res habuisset, id nobis literis mandasset; suspiror ergo, nihil aliud nisi nomen civis illic incisum fuisse additumque, ex urbe Halice natum, quod quae sequuntur verba: *ἄλλο δὲ σύγγραμμα κ. τ. λ.* confirmare videntur.

commotum, quod ipsum deus ex mortuis revocasset.<sup>42)</sup> Neque tamen pilae solum eo consilio poni solebant, quae, ne repetam grati animi sanatorum documentum fuisse, etiam multum ad artem medicinam ornandam et augendam valebant, sed tabulae quoque votivae eadem de causa deo dicabantur. Quae usquequaque reperiebantur, ubi Aesclepiadae in templis patris et magistri sui docebant aut sanabant, atque per eas deus ejusque propitii administri potissimum tanquam θεοὶ σωτηρῆες culti celebrabantur. Quod vero morborum nomina eorumque curationis ratio incidebantur, id eo consilio factum esse constat, ut, priusquam medicina ad artis praecepta revocata esset, quemadmodum varii diversique morbi sanarentur, cum posteris communicaretur. Atque sacerdotes, quod alii experti essent, id in suam rem convertisse, ex iis, quae nostrae memoriae a scriptoribus diversis tradita sunt, concludi potest, si, quod Strabo et Plinius de Hippocrate nuntiaverunt, parum evidens nec satis idoneum hujus rei esset documentum.<sup>43)</sup>

Porro in luco sacro theatrum, curriculum, fons Aesculapii nonnullaque aliorum deorum fana fuerunt. Atque theatri quidem magnificentiam, pulchritudinem partiumque convenientiam Pausanias satis commodis verbis laudare non potuisse videtur. Quippe, Polycleetus enim illud fecit atque opifex ipse Pausaniae sententia illis, qui theatrum suis oculis non vidissent, esse debet auctor luculentus, illud omnibus numeris absolutum neque quidquam in eo fuisse, quod aut desiderari posset aut admirationem non moveret. Theatrum in insula Aegina minus collaudatione dignum ei videtur, quamvis quod ad magnitudinem et interiorum partium formaeque externae concinnitudinem attineat, Epidaurium adaequet. Ceterum haud procul ab Aesculapii templo aberat et qui recentioribus temporibus Epidaurum adierant viri antiquitatis studiosi, sedilia complura marmorea in montis cujusdam latere superesse narraverunt.<sup>44)</sup>

Item vestigia stadii quoque reperiri dicuntur, quod dextera luci ambitum aut templi septum intranti monente Gellio fuit et quidem magna ex parte agger (qualia Graecis pleraque), a Pausania cum curriculum, quae Olympiae et Thebis fuerunt, comparatur et eodem numero habetur.<sup>45)</sup> Hic in honorem Aesculapii Epidauria sive Aesclepiea celebrata sunt, quae propter magnificentiam eximiam

<sup>42)</sup> Nonnulla hoc loco de Aesculapio medico notata subseramus. Diod. Sic. V, 75. narrat, Aesculapium quum multa ex patris disciplina cognovisset, chirurgiam et medicamentorum confectionem ipsum invenisse et radicum quoque vires perscrutatam adeo provexisse artem, ut pro conditore ejus ac principe coleretur. Neque tamen Apollo pater solus arte hac eum instituit, sed in Chironis quoque disciplinam traditus fuit. (Voyage d. j. An. IV. p. 347.) Nam quum medici Graecis viderentur esse vates spiritu divino inflati arsque eorum praecipue in salubri succo ex herbis comparando et in adhibendis incantationibus (ἐπαοιδαί) consisteret, (Etym. Magn. 353, 41; Aesch. Prom. 482 sqq.; Pind. Pyth. III, 83. Schol.; Hom. Od. XIX, 457. sqq.) quibuscum alia quoque magica medicamenta conjungebantur, (Pind. Pyth. III, 9. Nemea III, 94. Schol.) a Chirone fidibus canente medicinam edoctus esse Aesculapius putabatur. Sed quum secundum Graecorum opinionem magica remedia plurimum valerent, sanguine Medusae quoque ad necandos resuscitandosque homines usus est. (Apoll. III, 10, 3.) Resuscitato vero Hippolyto, a Jove fulmine necatus, dein Apolline petente in astra sublatus est, ubi nomen fert Ophiuchi (Anguinentis) Cic. N. D. II, 42. Apoll. l. l. Schol. Pind. Pyth. III, 96, p. 333. Boekh.) Hippolytum ultimum aliosque antea a deo ad vitam revocatos ex morte viros idem nominatim profert Apollodorus, in quorum numero fuere Capaneus, Glaucus filius Minois, Lycurgus, Eriphyle, Tyndareus, Hymenaeus. Eandem rem nuntiat Schol. Pind. Pyth. III, 96, p. 333. Denique Apollod. in fragm. Chiron. XXXVIII annis, postquam Argos ab Hercule occupatum fuit, ordinibus deorum Aesculapium ascriptum fuisse narrat. V. Ersch. Grub. Encyclop. s. v. Aesclepios p. 103.

<sup>43)</sup> Paus. de templo Aesculapii Cyrus appellato in Achaja. VII, 27, 596. Strabo VIII, 6, 15. qui tabulas votivas in insula Coo et Tricca fuisse dicit. Idem XIV, 1, 19. Plin. hist. nat. XXIX, 1, p. 204/2. V. d. j. An. l. l.

<sup>44)</sup> Paus. II, 27, 174; 29, 180, qui his utitur verbis: θέατρον — ἐν τῷ ἱερῷ. aut subintelligas ἄλλοι, aut ex plures ex iis, quae I, 20, 46. dicta sunt: ἐν τῷ τοῦ περιβόλου τοῦ ναοῦ. Quare idem est ac si dixisset: in propinquo templi, prope templum. Gell. p. 82. Chandler c. 53.

<sup>45)</sup> Gell. et Chandl. ibid. Paus. l. l. et IX, 23, 754.

μεγάλῃ Ἀσκληπίεια vel μεγαλοασκλήπεια appellata quinto quoque anno novem dies post Isthmia verno tempore agi solebant, si Corsino fidem habes, qui Isthmia verna tertiis Olympiadum annis acta probat. Pancratii pugilatusque certamina ibi habita a Pindaro commemorantur, musica autem certamina commissa esse Plato memoriae nostrae tradidit.<sup>46)</sup>

Jam supra diximus, fuisse in luco sacrum deo fontem cum reliquo opere tum testudine ita exornatum, ut admirationem omnium moveret. Mentionem quidem ejusdem fontis videtur Gellius fecisse, sed extra ambitum luci in via ad urbem Epidaurum ferente sub arbore eum invenit.<sup>47)</sup>

Denique ut commemorentur digna sunt templa Dianae, Veneris, Themidis atque signum Epionis: monumenta, quae vetustioribus temporibus exstructa cuncta usque ad Antonini Pii aetatem solida permanserunt. Atque hic vir sine dubio, antequam imperator factus erat, antiqua, quae in luco invenerat aedificia integra, novis auxit; veteres autem aedes ruinam minantes refecit. Ab illo Epidauri balneae Aesculapii factae, templaque et diis, qui vocantur Epidotae, et Bonae Valetudini (*Υγίεια*) et Aesculapio, et Apollini Aegyptio cognominato dedicata. Ad haec porticum restituit, quae Cotyos fuit appellata et collapsa tecto corruerat, ut quae e crudis fuisset exstructa laterculis; et quum Epidaurii, fani accolae, aegerrime ferrent, quod et feminae sub tecto non parerent et aegri sub divo animam agerent, Antoninus domo aedificata incommodum removit, ita ut inde ab hoc tempore et ad moriendum aegris et ad pariendum mulieribus esset consecratus religione locus.<sup>48)</sup>

Parietinae nonnullorum aedificiorum, quae nominavimus, secundum ea, quae Gellius adnotavit, ea usque aetate, qua vivimus, exstant; isque vir et intra et extra sacrum lucum vel plurimas adiit ruinas antiquarum aedium, quum Epidaurum pedibus obibat; praecipuam vero mentionem, ne repeta. nus ea, de quibus jam supra verba fecimus, de porticu et balneis alioque romano templo habuit.<sup>49)</sup>

Jam vero, quum quae in priore nostrae disputationis parte nobis proposuimus, ad finem adduxerimus, accedamus ad alteram, in qua nobis de incolis hujus regionis, eorum vita, de forma Epidauriorum reipublicae, deque loco dignitatis, quem inter Graecas gentes diversis temporibus obtinuerint, dicendum erit.

Incoluerant Epidaurum illamque regionem, antequam Dores irruptione in Peloponnesum facta in has paeninsulae partes processissent, Iones intermixti Caribus,<sup>50)</sup> qui regum, quorum primus Epidaurus, Pelopis aut Argi aut Apollinis filius habebatur,<sup>51)</sup> imperium veluti ceterae Graeciae gen-

<sup>46)</sup> Schol. ad Pindar. Nem. III, 145 et Boeckhii commentar. ad h. l. Stallbaum. Plat. Jon. I, 1. Pindar. Nem. V, 95. Athenienses diem octavum, quo Aesculapium mysteriis se initiavisse dicebant, Asclepiea sive Epidauria nominabant. Ersch. Grub. Encyclp. I, 6, p. 103. annuam fuisse solennitatem ludorum contendit, nulla idonea causa adlata, cur ita se habuisse credat.

<sup>47)</sup> Paus. II, 27, 174. Gell. ibid.

<sup>48)</sup> Antoninum Pium, antequam imperator creatus esset, aedificia haec exstruxisse magnaue in Graecos benevolentia fuisse ex ipso Paus. liquet. Cf. VIII, 43, 688; ubi Ἀντωνῖνος ὁ πρότερος vocatur et jam imperator Romanorum factus est. θεοὶ ἐπιδώται secundum Paus. VIII, 9, 616. sunt dii, qui dant bona: τὸ μὲν Σωτήριος Διὸς, τὸ δὲ Ἐπιδώτου καλούμενον (scil. ἱερὸν) ἐπιδίδοναι γὰρ δὴ ἀγαθὰ αὐτὸν ἀνθρώποις. Adnumerantur autem ab ipso Pausania (II, 10, 134.) his diis: Jupiter, Somnus, Nymphae *χοιροτρόφοι* Paus. III, 17, 153. De Aegyptio Apolline Herod. II, 156. Diod. Sicul. I, 13; 17; 25.

<sup>49)</sup> Gell. p. 82.

<sup>50)</sup> Strabo VIII, 6, 15. Iones Epidauri habitasse Pausanias quoque novit, VII, 4, 530.

<sup>51)</sup> Paus. II, 26, 170 sqq., qui locus repugnare videtur iis, quae in l. VII, 4, 530. dicta sunt; quoniam hic Iones Epidaurum incoluisse et inde Samum venisse narrat, illic ex incolis ne comperire se quidem potuisse fatetur, qui Epidauri posterii fuissent. Jam de Epidauo haec apud eundem auctorem leguntur: Epidaurus, a quo regioni nomen, uti Elei tradunt,

tes sustinebant. Quas gentes illis antiquissimis temporibus nihil nisi pietas erga deos conjungebat; quare incolas quoque hujus terrae socios illi foederi ascriptos reperimus, quod septem inter se civitates vicinae fecerant, quarum nomina: Hermione, Epidaurus, Aegina, Athenae, Prasiae, Nauplia, Orchomenus Minyeus; conventusque horum Amphictyonum ad Neptuni templum fiebat, quod fuit in Calauria insula.<sup>52)</sup>

In numero verum illorum regum referantur necesse est Gorgophonus ille, qui patria pulsus Mycenae condidit, si quam Plutarcho fidem habere vis,<sup>53)</sup> et ultimus Pityreus, nepos Ionis, pronepos Xuthi, qui multitudine nimiaque Dorum potentia oppressus nullo proelio commisso effugit terramque suam hostibus diripiendam concessit.<sup>54)</sup> Quorum regum dominatio continua intermissane fuerit parum liquet, neque magis scimus, an ipsi reges vinculis propinquitatis aut affinitatis inter se conjuncti fuerint, quum Pausaniam fateri audiamus, ipsum ex incolis terrae ne comperire quidem potuisse, qui Epidauri posterii fuissent et qui regionem illam tenuisset ante Epidauri adventum. Id tamen constat, Homero testante et Thucydide affirmante, Trojani belli temporibus proximisque Epidaurum Agamemnoni paruisse.<sup>55)</sup> Bello vero Trojano composito Epidaurios in veterem dignitatem ac libertatem paulatim sese vindicasse patet, quum, qua aetate Dores in Peloponnesum invaserint, regnasse Epidauri Pityreum nullius imperio subjectum sciamus.

Dum autem Deiphontes nullo resistente (c. 980 a. a. Chr. n.) cum ea manu Argivorum, qui Temeno mortuo, quod liberos ejus oderant, a reliquis Argivis ad ipsum desciverant, Epidaurum occupata summum imperium a se firmatum et munitum posteris suis, qui Ctesippidae vocabantur, relinquit, profugus patria Pityreus ipse, aliqua parte civium comitatus, quum Saronicum sinum trajecisset, Athenis sedem suam constituit,<sup>56)</sup> filius vero ejus non multo post, quem multi quoque cives Iones origine secuti sunt, Aeginam transvectus Samum sese contulit, ubi ab incolis receptus brevi tempore intermisso regno potitus est filiumque suum Leogorum regni heredem fecit.<sup>57)</sup>

Pelope natus est; quodsi Argivorum opinionem sequimur et eorum carminum, quas Eoeas magnas appellant, Epidaurum pater fuit Argus, Jovis filius; ipsi vero Epidaurii Apollinem patrem nuncupant.

<sup>52)</sup> Strabo VIII, 6, 14. Paus. IV, 5, 290.


<sup>53)</sup> Plutarch. (de fluviis Vol. X, p. 782 Reiske) narrat: „Chrysermus Corinthius in I. Peloponn. histor. commemorat, Persei per aërem lato et supra collem Argium (*Ἀργίον ὄρος*) vehenti decidisse gladii capulum. Gorgophonum autem, regem Epidauriorum, regno depulsum oraculisque urbem condere jussum, ubi gladii capulum inventurus esset, urbes omnes Argolicas adiisse et cum in Argium montem ascendisset ansa eburnea inventa jussa effecisse urbi ex nomine rei inventae (*ὁ μόχλης*) Mycenarum nomen indidisse.“ Alii volunt *Γοργονοφόνος*, i. e. Perseus.

<sup>54)</sup> Paus. II, 26, 170.

<sup>55)</sup> Hom. Iliad. II, 108. Thuc. I, 9.

<sup>56)</sup> Paus. ibid. et II, 19, 152. Originem Ctesippidarum ac Temenidarum subtextam subjungimus:

#### HERACLES.



<sup>57)</sup> Paus. VII, 4, 530. narrat: Eo quidem tempore, qui insulam incolebant, vi potius coacti quam benevolentia adducti in penatium suorum societatem Ionas receperunt. Erat Ionum dux Procles, Pityrei filius, et ipse Epidaurius et magnum

Praeterea Epidaurii, Peloponneso a Doribus occupata, alii alio se contulerunt coloniasque deduxerunt, propter nimiam, ut suspicari potes, hominum frequentiam. Nam Ionibus, qui duodecim civitates foederatas in Asia Aegeo mari appositas condiderunt, sese admiscuerant, auctore Herodoto, qui de illis Ionibus disputans, qui ad Panionium congregari consueverunt, dicit, non esse eos since-riore melioremque quam alias nationes origine, contra diversorum populorum accessione olim interpo-latos: addidisse se enim Abantes, admixtosque esse Minyas Orchomenios, Cadmeos, Dryopes, . . . . Dorienses Epidaurios aliasque multas nationes. Pausanias tamen inter nationes illius expeditionis participes Epidaurios non commemorat.<sup>58)</sup>

Quod priusquam fieret, Epidaurii haud dubie aliis Argolidis incolis immixti Rhodum, Coum, Nisyrum, Calydnas demigraverunt coloniasque illis locis collocatas si non iisdem institutis legibusque, at certe quarundam caerimoniarum, in primis Aesculapii, communitate cum metropoli conjunxerunt. Apertissime enim Herodotus Halicarnassenses, Coos, Nisyrios, Calydnios esse Dores annuit, Hali-carnassenses quidem Troezenios, ceteros autem Epidaurios. Item Thucydides Rhodios ab Argivis oriundos memorat; atque Diodorus uberius narrat, Ioelum, Demolaontis filium, Argivum origine, oraculo jussu Nisyrum Calydnasque deduxisse coloniam, quum paullo ante Coi Rhodique eo colo-nos misissent. Quibus testimoniis confusus nemo has colonias diversas esse non negabit; Coum vero praecipue, ut Herodotus monuit, conditam esse ab Epidauriis gravissimus et eloquentissimus testis est firmus utriusque civitatis consensus in Aesculapio colendo venerandoque. Utriusque enim urbis cives serpentes adoraverunt; utrobique in fanis Aesculapii aegroti dormiebant, ut in somnis audirent, quibus deus remediis ipsorum valetudini subventurus esset; sanatique et in insula Coe et Epidauri tabulas votivas deo dedicabant. Denique coloniarum more Coum insulam cum Epidauro consociatam fuisse probat ea, quae de sancta ab Epidauriis Coum missa legatione praedicatur historia. Quae le-gatio eo gravior majorisque fuit momenti, quod ad condendam novam coloniam, cui Epidauros Lamera nomen inditum, ansam dedit. Quum enim ab Epidauriis publice in Coum insulam ad Aesculapium legati missi, cui anguem subveherent, ad hoc agri Laconici litus, cui postea E. Lamera apposita fuit, navem appulissent, somniis quibusdam moniti sedem in eo loco constituerunt. Quo facto quum an-guis, quem secum Epidauro abduxerant, navi elapsus non procul a mari in occultum se abdidisset, et somniorum et prodigii hujus majorem aliquam esse causam suspicati, ibi constiterunt et oppidum sibi communiverunt; quo vero loco e conspectu ipsorum anguis fuga se eripuerat, eo arae Aesculapio dedicatae usque ad Pausaniae aetatem inter sponte enatas oleas exstabant.<sup>59)</sup>

Sed omnes ab Epidauriis conditas colonias et auctoritate et opibus, quas postea consecuta est, haud dubie antecedeat illa, quam cum magna civium advenarum multitudine Triaccon quidam in insulam Aeginam deduxit; in quam expeditionem illum triginta circiter annis post occupatam a Do-ribus Epidaurum cives suos eduxisse censet probabiliter Ottfr. Muellerus. Aegina enim, in Saronico sinu e regione Epidauri sita, pari maris intervallo ab Attica, Megaride, Epidauro disjuncta, Strabone vero monente ab Argivis, Cretensibus, Doribus Epidauriisque frequentissime habitata et jam ante hanc Triacconis irruptionem cum hac urbe arte conjuncta, inde ab illo tempore labores et pericula

Epidauriorum numerum deducebat, ejectorum scilicet ex Epidauria terra a Deiphonte et Argivis. Hujus filio Leogoro, quum patri in regnum successisset, bellum intulerunt Ephesii duce Androclo, proelioque victum expulerunt Samiosque, crimini illud dantes, quod cum Caribus de bello Ionibus inferendo consilia agitassent. . . . . Qui Leogorum secuti sunt, ii ad Anaeon in adversa continenti terra castellum permunierunt, unde decimo post anno Samum adorti pulsus Ephesiis insulam receperunt. Etymol. Magn. p. 160, 22. ubi Procles nominatur Patrocles; de qua nominum commutatione v. Wesseling. ad Herod. III, 50.

<sup>58)</sup> Herod. I, 146.

<sup>59)</sup> Herod. VII, 99. Thuc. VII, 57. Diod. V, 54. Paus. III, 23, 270. Strabo VIII, 6, 1. Muell. Dores I, 164.

cum metropoli communicabat ejusque incolae cum Epidauriis civibus in unius populi corpus coaluerunt, ita ut non solum mores doricos induerent sed etiam lingua dorica uterentur. Neque tamen eos in parem juris libertatisque conditionem receptos fuisse affirmem subditosque potius Epidauriis contendam, quamvis illam rationem, quod *ὀποτελεῖς φόρου* fuerint, plane rejiciendam et spernendam censeam, quoniam eo tempore quum bellum Peloponnesiacum gerebatur, liberas sui que juris (*αὐτονομούς*) gentes nonnullas vectigales stipendiariasque fuisse novimus. Sed quod in Aeginetas Epidaurii etiam juris illis Epidauri dicendi potestatem exercebant, id conditione subditorum illos usos fuisse demonstrat, quum aliunde quoque acceperimus, Athenienses opibus et maritima praesertim potentia superbos, quos socios appellantes miseros vexarent insulanos, eos coëgisse *πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε*.<sup>60)</sup>

Sed antequam ad ea demonstranda accedam, quo modo vincula summae conjunctionis, quae ex Epidauro astrictaque Aegina tanquam unam effecerunt civitatem, paulatim laxata, dein penitus rupta fuerint, ut res Epidauriorum enarrentur, redeamus ad Deiphontem illum, per quem Ctesippiadae in urbe summum imperium et potestatem tenuerunt, scilicet rebus publicis in eum ordinem adductis, qui proprius peculiarisque et communis Doriensium omnium, quoque constituto penes paucos tantum eosque optimates summa omnium rerum fuit.

Neque tamen novare, si quid opus erat, in institutis Dores neglexerunt, praesertim quum natura terrae, quam possederunt, maxime vero incolarum, quos invenerunt, ratio nonnullas rerum mutationes postularet atque exigeret.

Atque Dores quidem in tribus descripti, quae descriptio ad rempublicam conformandam summosque magistratus ordinandos haud parum valebat, in terris, quas subegerant, usquequaque eundem ordinem a majoribus traditum servabant; sed quum in nonnullis regionibus advenae victores pristinis subjectis incolis, fortasse ut ipsi magis imperium suum firmarent, civitatem donassent eaque de causa inter utrosque et victores et victos communio juris esset, illi vero gentilitatem suam integram servaturi nihil tam metuerent, quam ne cum subditis sibi confunderentur, hos, ut ab ejusmodi confusione sese tutarentur, in unam pluresve tribus separatas describebant.

Itaque in Epidauro praeter tres solitas Doriensium tribus (Hylleis, Dymanes, Pamphyloi) quartam reperimus, cui nomen Hyrnethia et cui cives veteres hujus regionis ascripti fuerunt.<sup>61)</sup>

Eae vero tribus dividebantur in gentes, quae quum ipsis propositum esset, ut caerimonias deorum propagarent aut ut artes studiaque tanquam hereditate posteritati traderent, ab aliis seclusae in singula corpora coaluerunt. Huc accedebat, ut accuratissime inquireretur in originem earum gentium, quae deorum cultum rectum et incorruptum servarent, an recta sinceraque esset, quum, nisi earum socii (nobilibus reipublicae gentibus inserti) antiquissima clarissimaque stirpe orti essent, eos officii muneribus defuturos putarent, quae ejusmodi sacerdotii collegio tributa essent. Ob id ipsum Aesclepiadae, qui medicinam exercentes eam posteris hereditate relinquebant, in qua gente munus praefecti medicorum justo heredi deferebatur, a dei filio prognati praedicabantur. Ne tamen credas, Aesclepiadas, qui in fanis Aesculapii Triccaë, Epidauri, Cnidi, in Coe insula aliisque locis artem medicinam faciebant aegrosque sanabant, solos sacerdotio hoc tota Graecia functos esse arcanaque medicamina cognita habuisse, nam Chironidas quoque in radicibus montis Pelii eadem doctrina imbutos fuisse

<sup>60)</sup> Paus. II, 29, 178. cui nomen ducis colonorum ignotus. Muell. Dores I, 82. Append. chronol. tab. Schol. ad Pind. Olymp. VIII, 39, p. 194. *Τριάκων τις Ἀργεῖος συλλέξας πλῆθος Ἀργείων . . . . ἐς τὴν Αἴγιαν ἦλθον καὶ κατώκησαν.* Strabo VIII, 6, 4; 16; contra Strabonem Pompon. Mela (de situ orbis II, 7, p. 47.) Aeginam Epidaurico litori proximam dicit. Thuc. V, 18, De conditione Aeginetarum Her. V, 83.

<sup>61)</sup> Muell. Dores; vocem „Hyrnethia“ obscuram esse dicit nec facile intellectu, quo modo cum Epidauriorum heroïna Hyrnethone cohaereat.

suosque iis mysteriis initiasse scimus. Denique Asclepiadas omnes vix gentilitatis vinculis conjunctos crederes, quamvis Aesculapii filii, Machaon et Podalirius, auctores eorum stirpis perhiberentur.<sup>62)</sup>

Jam ex his quatuor tribubus, quas nominavimus, Epidauri in amplissimum nobilissimumque senatus collegium delecti centum et octoginta viri dein ex suo numero summos magistratus (*ἀρτόνους*) creabant, qui rebus publicis praeficerentur.<sup>63)</sup>

Senatus autem Epidauriorum, qui id potissimum spectasse videtur, ne optimatum paucorum numero, cui reipublicae ad suum arbitrium administrandae potestas concessa esset, ea adimeretur aut vi injuriaque eriperetur, invitissimus haud dubie atque timide et pedetentim plebi concessit, ut in aequiorem melioremque juris conditionem reciperetur. Quare stabilita vix et firmata Dorum in Peloponneso potestate nobiles jam in classes, tribus gentesque jure et legibus sunt descripti, dum plebs aegre aliquot saeculis post certum aliquem locum in civitate obtinuit et usque ad illa tempora ad nobilium arbitrium libidinemque vivebat. Eandem ob causam in Epidaurio, ubi Dores, qui terram invaserant, pariter atque in aliis Graeciae regionibus nobilitatem efficiebant, plebs ex pristinis superatis incolis composita, quibus se admiscuerunt, quicumque aliis ex terris huc immigraverant, agrum incolens a negotiis publicis diligentissime removebatur.<sup>64)</sup>

Cum vero plerumque apud Graecos urbs, ut ita dicam, sedes domusque summi imperii esset et, qui rempublicam administrabant, in urbibus versarentur, ita ut urbium incolae (*πολίται*) ob id ipsum cives jure optimo haberentur, rustici, qui servorum more in agro colendo vitam totam consumebant, communis juris et consilii expertes ut in optimatum dominatu vix libertatis participes esse potuerunt. *Περιοίκους*<sup>65)</sup> vocatos fuisse probabiliter dici potest; sed quod ad statum attinet, quem in republica tenebant, is varius exstitisse videtur, quod nonnulli eorum utique ad summum gradum elati paene civium conditionis compotes erant, alii vero in infimi generis hominum fortuna vitam debebant. Fortasse quispiam dixerit, eos usque eo oppressos fuisse, ut ad miseram *πενεστῶν* vel *εἰλωτῶν* sortem eorum locus equiparari possit, non ignarus, nobiles ambiguo eos nomine *κονιπόδας* (pulverulentis pedibus homines) nuncupavisse, ut hoc modo plebi ostenderent, quantopere eam detestarentur. Attamen vox illa, qua velut ludibrio laedi consuevisse plebem a nobilibus vix cogitatio suppressi potest, non video cur in mitiorem partem non accipiatur, ita ut rationem tantum indicatam censeas, quam in degenda aetate plebs sequuta sit. Nam quibus nominibus affari solebant plebem nobiles aut tyranni aliis in regionibus, ea multo turpiora et sane ignominiosa fuerunt; veluti Sicyone rusticos *κατωναχοφόρους* (mastrucatos) aut *χορυνηφόρους* (fustes gerentes) contumeliose vocabant. Quo vero tempore hoc discrimen, quod inter urbanos et agrestes terrae accolae fuit, sublato omnesque jure exaequati fuerint, id ita demonstrari nequit, ut ad veritatem accessisse videamur.<sup>66)</sup>

Atque haec fere sunt omnia quaecumque de distributione et conditione hujus terrae incolarum ac de forma reipublicae Epidauriae comperta habemus. Forma quidem reipublicae semel commutata (illo tempore, quo plerumque in Graecia evertere respublicas tanquam in morem venerat), brevi temporis spatio intermisso restituta fuit, quod ut credamus ea re adducimur, quod nonnisi unius tyranni

<sup>62)</sup> Sittmann, Staatsverfassung. 432. V. n. a. 27.

<sup>63)</sup> Plutarch. Qu. gr. Vol. VII, 171, 1. — τὸ πολίτευμα ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν ἄνδρες ἦσαν. ἐκ δὲ τούτων ἤρουντο βουλευτὰς οὗς ἀρτόνους ἐκάλουν.

<sup>64)</sup> Plut. ibid. τοῦ δὲ δήμου τὸ πλείστον ἐν ἀγρῷ διέτριβεν.

<sup>65)</sup> Plut. *περὶ γυναικ.* ἀρετ. VII, 1. corrigit Herodotum, qui minus commode de plebe disputans voce *δοῦλοι* usus est in lib. VI, 83. VIII, 73.

<sup>66)</sup> Plutarch. Qu. gr. l. 1. ἐκαλοῦντο (ὁ δήμος) δὲ κονιπόδες, ὡς συμβαλεῖν ἐστίν, ἀπὸ τῶν ποδῶν γνωρίζομενοι κεκονιμένων, ὅποτε κατέλθουεν εἰς τὴν πόλιν.

memoria nobis est conservata. Neque est quod miremur, Epidaurios, ut primum potuissent, civitatem in pristinum restituere conatos esse, quum eos, quanto odio in Argivos ferrentur, tanto studio et voluntate in Spartanos usquequaque fuisse videamus. Quod odium, quas inimicitias Epidaurii haud dubie eam ob causam conceperunt, quod Argivorum urbs, quae vetustioribus temporibus principatum tota Argolide tenuerat, cujusque cives tantum sibi auctoritatis inter obnoxiarum gentium cives sumserant, quanta Spartiatis inter Lacedaemonios fuisse accepimus, nullum diem intermisit, quin, quoquo modo posset, principatum obtinere et firmare conaretur. Nihil tamen in ea re tentanda profecerunt et si quando inceptum aliquod ex sententia iis successit, ejus rei levis fuit fructus, exiguus usus, incerta possessio, ita ut ne ad commune concilium quidem, quod praeside Apolline Pythaeo convocabatur, Epidaurios cogere possent.<sup>67)</sup> Pheidone quidem regnante, qui Corinthum expugnavit, Aeginam suo imperio adjunxit, Epidaurii quoque sub imperium ditionemque Argivorum cecidisse videntur; sed simulac de principatu in Peloponneso cum Spartanis nemo amplius contendere est ausus, Epidaurii obsequio in Argivos exuto, bello nondum Persico conflato, sui juris facti ad Spartanos perenni societate ac foedere sese adjunxerunt.<sup>68)</sup> Ut vero ab Argivis se abalienarent ac deficerent et ad amicitiam fidemque Spartanorum se applicarent, Epidaurios quoque et quidem maxime impulit ea quae fuit Argivorum reipublicae forma, qua vis omnis penes populum erat; atque eadem ipsa res maximum profecto habuit momentum ad eos commonendos, ne in Persico, Peloponnesiaco ceterisque bellis eum locum relinquerent, quem semel susceptis in Argivos inimicitias tenere coacti erant.

Jam supra commemoravimus, dominatione et potentia paucorum principum labefactata atque eversa Epidauri successisse tyrannidem (circiter XXXII Olymp.), quum in aliis quoque Graeciae civitatibus, legibus atque institutis, quae usque ad id tempus vigeabant exercebanturque et ex quibus primores civitatis omnia administrabant, perruptis et abrogatis ab audacibus iisque fortibus viris singula imperia instituerentur.

Atque Epidauri Procles (c. XXXV Olymp.), cui Aegina insula quoque a Triacconis usque adventu cum metropoli arte conjuncta parebat, reipublicae formam commutavit; qui vir haud scio an in illorum tyrannorum numero sit reponendus, qui optimates Dorios perosi plebe ascita promissisque devincta regnabant. Nam quicumque viri Sicyone, Corinthi, Megarae aliisque in urbibus rerum potiti erant, foedus societatemque inierunt eo consilio, ut Doriensium institutorum rationumque civilium memoriam oblivione exstinguerent, eoque periculosiores Doribus sunt facti, quo majori prudentia et circumspectius novas vias ineuntes ad incepta persequenda accedebant. Procles tamen non solum ingenii verum etiam artificii cujusdam singularis, quo tyrannis opus est, expers fuisse videtur, qui non solum nullis heredibus dominatum reliquerit sed ne ipse quidem locum occupatum usque ad mortem tenuerit, quoniam a genero Periandro, Corinthiorum tyranno, bello oppressus Epidauro expugnata captus fuit.<sup>69)</sup> Sed utrum idem ipse, quem salvum conservavit gener, regno privatus vitam captivus

<sup>67)</sup> Muell. Dor. I, 85; 163. Urbes, quae posteris temporibus sui juris factae sunt, obstrictae quibusdam officiis in se receptis, quae tamen aut levissima aut plane nulla evaserunt, Argivis speciem dominorum praebebant. De concilio, quod ad templum Apollinis Pythaei convocabatur et de deo ipso alias dicuntur nonnulla, ubi de bello inter Epidaurios et Argivos exorto sermo erit. ann. 93. De Pheidone v. Muell. Dor. et Aeginet. p. 51. 63.

<sup>68)</sup> Diod XI, 65. (LXXVIII, 1. Olymp.) Principatum vero Spartanorum gentes Peloponnesi agnoverunt c. L. Olymp.


<sup>69)</sup> Causam belli, quod Periander socero suo Procli intulit, Herodotus uberius exposuit in l. III, 50—52. Illi enim (Periandro), narrat, erant ex Melissa, filia Proclis, quam maritus interfecerat, duo filii; quos avus maternus ad se accitos ea prosequatur caritate, qua par erat nepotes ex filia sua, et ubi eos remittendos statuit, in patrem instigavit praetendens irae suae foedum facinus, quod in filiam suam matremque ipsorum impie commissum esset. Minor natu, cui Lyeophon nomen erat, ita hoc audito doluit, ut reversus Corinthum patrem neque salutaret ac ne interroganti quidem responsa ulla redderet.



degeret, an a Periandro, qui se satis supplicii de socero sumsisse putaret, quum ad proelium elicium profligasset et captivum reddidisset, in regnum restitutus usque ad supremum diem regnaret, in incerto reliquerunt rerum scriptores. Item inter caetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum, qui fuerit status reipublicae Epidauriorum Procle mortuo vel dominatione spoliato; namque aliine viri tyrannidem continuaverint an statim in pristinum statum res publica redierit, de ea re ne paucissimis quidem quidquam ullus auctor antiquus disseruit; idque solum impugnari non potest, quod multis locis apud scriptores significatur, ante belli Persici initium optimates denuo gubernacula reipublicae tractasse.

Etiamsi vero Epidaurii illo tempore, quum de principatu Argivorum se eripuissent, meliorem uterentur conditione, quippe qui suis stantes viribus ipsi sibi leges conderent atque imponerent, tamen non multum aberat, quin de statu omni demoverentur jactura Aeginae insulae facta. Etenim incolae hujus insulae, qui jam ab illa usque aetate, qua a Doribus eam occupatam diximus, in rerum nauticarum scientia et in artium liberalium studio atque libertatis amore inter vicinas gentes mirum quantum excellebant, Epidauriorum auctoritati obtemperabant, donec tenui mercatura, quam soli ex omnibus Doribus faciebant quamque Graeci deridentes Aegineticam vocitabant, tantas opes consecuti essent, ut Epidauriorum, ut ita dicam, tutela molesta se levare possent. Nec longo temporis spatio intermisso adeo opibus invaluerunt, ut, ne libertate quidem contenti, jam ad contumaciam prona, finitimas gentes vexarent nec ipsi Epidaurio incursione in fines Argolicarum urbium maritimarum facta

Quare Periander indignatus a diis penatibus eum ejecit et ubi per majorem natu filium comperit, quae fuisset illius irae causa, per praeconem hunc in domum a quopam recipi vetuit. Mox tamen amore paterno ductus, quod et ingenii virtutes Lycophronis perspexerat et alter filius obtusus imbecillusque fuit, Periander illum reconciliare sibi est conatus eique ad larem suum reverti permisit; sed quum filii malum desperatum et insuperabile esse animadvertisset, in Corecyram eum relegavit. Eo autem amandato bellum socero intulit tanquam praecipuo harum rerum auctori.<sup>4</sup> Perbrevis est apud Diogen. Laërt. I, 100, C. 7 n. VIII epistola Dorica velut a Periandro ad socerum Proclum scripta, quam Valcken. ita correxit: *Ἀπὸ μὲν ἀκούσιον τὰς δάμαρτος τὸ ἄγος· τὸ δὲ ἐκὼν, τῷ παιδί ἦν ἀπὸ θυμοῦ με ποιήσας (v. ποιήσας), ἀδελφεῖς, ἣ ὄν παῖσον τὰν ἀπὴνεον τῷ παιδὸς, ἣ ἐγὼ τὸ (v. τοῖ) ἀμυνοῦμαι.* De nomine filii natu majoris v. Wesseling ad Herod. V, 83. Cypselo ei nomen fuisse Diogen. Laërt. novit, (I, 7n, 1.) qui eodem loco commemorat, uxorem ab ipso Periandro Melissam appellatam, dum Lysides nomen proprie haberet. Cujus cadaver ad Proclum misisse Periandrum e Pausania conjici posse videtur. V. a. n. 24. Denique Proclum Epidauri regnasse idem novit (II, 28, 177, s. f.); sed utrum apud Plut. (de Pythiae Oraculis Vol. VII, p. 387 R.) ejusdem Proclis an Herodoteo hoc recentioris mentio sit facta, difficile est dijudicatu. Atque Plut. narrat, Proclum hunc quam quem unquam crudelissimum ac violentissimum in suos tyrannum fuisse, qui quum multos homines nefarie occidisset, tum etiam Timarchum quendam, qui multum pecuniae secum portans Athenis profectus ad ipsum devertisset; cadaverque ejus storea involutum in mare abjecisse, usum ad haec Cleandri Aeginetae opera, aliis ignorantibus. Postea vero rebus ipsius conturbatis misisse Cleotimum fratrem, qui arcane deum consuleret de exsilio et migratione. Huic respondisse deum: fugam se eo ac migrationem Procli concedere, quo stoream deponi ab Aegineta hospite jussisset aut quo cervus cornu abjiciat. Quo responso relato tyrannum, qui intellexisset, sibi a deo imperari, ut vel in mare demergeret se ipsum vel defoderet, (cervos enim cornua delapsa in terram defodiendo tollere e medio) paullulum temporis exspectavisse; deinde rebus plane pessum euntibus profugisse. Amicos autem Timarchi eum nactus in mare interfectum projecisse. Cui narrationi Plut. haec suggerit: Quod vero maximum est, *rhetrae* illae, secundum quas Lacedaemoniorum rempublicam Lycurgus composuit, soluta oratione ei datae sunt. V. Reisk. a. h. I. Denique, qua affinitate inter se juncti fuerint tyranni Orchomenii, Corinthii Epidaurisque ostendere conati sumus:



parcerent.<sup>70)</sup> Quarum expeditionum una propterea memoria digna exstitit, quod ex ea reversi Aeginetae duo simulacra Damiae et Auxesiae dearum Epidauriis surrepta et asportata in insulae suae mediterraneo loco, cui nomen fuit Oeae, statuerunt, eaque re perfecta ad bellum ipsis inferendum occasionem dederunt Atheniensibus, qui avidissime eam sunt amplexi, quod jam diu opes animosque Aeginetarum crescentes anxii et solliciti animadverterent.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur, mentione dearum Damiae et Auxesiae facta Epidauricarum rerum narrationi inserere nonnulla, quae de origine cultus et de cultu ipso harum dearum proponi possunt. Unde sit petenda cultus origo, ab Herodoto edocemur, qui in libro V (82, 83.) haec fere exposuit: „Epidaurios, quum sua ipsis terra nihil fructuum efferret, de hac calamitate consuluisse oraculum atque a Pythia jussos Damiae atque Auxesiae simulacra erexisse, quoniam iis simul dictum esset, melius actum iri, si ea posuissent. Scisitantibus igitur Epidauriis, utrum ex aere facerent illa an ex lapide, Pythiam ex neutro fieri permisisse, sed e ligno mitis olivae. Petiisse ergo ab Atheniensibus Epidaurios, ut sibi oleam caedere permitterent, olivas illic ratos sacerrimas esse, atque Athenienses concessisse hac lege, si quotannis sacra Minervae, arcis praesidi, et Erechtheo afferrent. Accepta conditione Epidaurios simulacra ex his oleis fabricatos statuisset; terraque fruges iis ferente, quod convenisset, Atheniensibus persolvisset. Surreptis vero statuibus ab Aeginetis quum pacto non starent et Athenienses illis succenserent, reddidisse rationem, cur nihil iniqui facerent: se enim, donec statuas apud se habuissent, exsolvisse, quod pacto convenisset; iisdem jam spoliatis non teneri amplius promisso sed Aeginetas, qui illas haberent; exigent igitur ab illis sacra. Quo responso accepto ad statuas repetendas ad Aeginetas Athenienses misisse legatos et cum illi negassent quicquam sibi negotii esse cum Atheniensibus bellum coortum esse.“ Hucusque Herodotus. Quod quidem ad nomina dearum attinet, et *Δαμίας* (*δάμος*, *δήμος*) et *Αύξησίης* (*αύξω*) sincera esse videntur, ita ut illam benignam populi patronam, hanc almam ministram frugum terrae praedicares. Prior dea apud Pausaniam *Δαμία* vocata,<sup>71)</sup> quae vox tamen jam ubique correctae, ut *Δαμία* legatur; ab Aristide Themist. vero percommode eandem deam *Ταμίαν* dictam esse, quae ab Epidauriis ipsis *Δαμία* nominabatur, negari nequit, sed non est quare altera scriptio praefenda esse videatur. Ambae autem deae, quas Herodotus *δαίμονας* vocat, fortasse referendae sunt in numerum antiquissimorum numinum, quae singulis in regionibus aut urbibus culta, dein quum dii Olympii praecipua afficerentur veneratione neglecta mysteriis tantum celebrabantur et Cereris ejusque cultus memoriam revocant.<sup>72)</sup> Jam cum nomen *Δαμίας* accommodatissimum sit Cereris naturae: cum Pausanias (II, 30, 181.) commemoraverit, eodem ritu deabus istis veluti Eleusini Cereri sacra fieri in Epidauro: atque ex eodem auctore (VIII, 53, 707.) compertum habeamus, Tegeae (ubi templum Ceres et Proserpina habuerunt) has deas *καρποφόρους* dictas fuisse: cum porro Herodotus ipse dixerit (V, 83.), Epidaurios, quod iis terra fruges non efferret, jussos divinitus istarum dearum veluti *θεῶν καρποφόρων* effigies dedicare: et denique cum ex iis, quae Schol. exposuit ad Arist. Them.: *τὸν πρὸς Αἰγινήτας, κ. τ. λ.* discamus, sub istis nominibus *Δαμίας* et *Αύξησίης* coluisse Epidaurios Cererem et Proserpinam, dubitari non potest, quin illas *θεὰς μεγάλας*, Damia et Auxesia vocatas, Epidaurii et Aeginetae venerari ac precari consueverint.<sup>73)</sup>

<sup>70)</sup> Herod. V, 83.

<sup>71)</sup> Paus. II, 32, 187; 30, 181.

<sup>72)</sup> Creuzer Symb. IV, 50.

<sup>73)</sup> Diod. fragm. I. XXXII Edit. Argent. Vol. X, p. 60 sqq. narrata scurrili de Callone quadam Epidauria historia commemorat, eam sacerdotem Cereris fuisse c. CXX Olymp. Quae similitudo intercedat inter has deas et Bonam Deam, de ea re v. Valcken. ad Herod. V, 82.

Atqui caerimonia ipsa ad Eleusinium Aegyptiarumque caerimoniaram similitudinem accedebat. Erectis enim dearum simulacris supplicabatur per sacrificia atque jocabundos mulierum choros, denis viris, qui choris praeesent, utriusque dearum assignatis. Chori autem neminem virum jocos lacessabant, ac ne feminas quidem nisi indigenas. Praeterea fuerunt illis quoque arcana quaedam sacra, quibus et ab Epidauriis et ab Aeginetis colebantur. Facile ex his igitur, quae diximus, intelligi potest, non solum cum Bacchanalia rustica agerentur sed etiam ludis festis Cerealibus res ludicras facetiasque acerbis ex tempore haud dubie fundi morem fuisse; atque lascivi, petulantes acerbique sermones, quibus mulieres omnes socias easque cives suas carabant, certe haud discrepabant a cavillationibus, quas duces Phallicae pompae spargere solebant. Item Epidauricarum mulierum choros cum ludificationibus comparari posse, quibus mulieres Aegyptiae aliae alias lacessere solerent, cum Bubastin sacram peregrinationem facerent (Her. II, 60.), monuit Creuzerus.<sup>74)</sup> Sed haec hactenus.

Nunc redeo ad bellum ab Atheniensibus Aeginetis illatum, quod si minus illis processit, certe vexationes periculaque ab his intentata Epidauriis propulsavit. Non longo temporum intervallo subsequuta sunt gravissima bella Persica, in quibus quamvis secundas partes agerent Epidaurii, tamen quantula subsidia pro libertate et integritate patriae pugnantibus Graecis auxilio misissent, haud ab re duxi inquirere, ut recens navibus numeroque inito copiarum terrestrium edoceremur, non solum quantis viribus praesidium communi patriae tulissent et quo patriae libertatisque amore flagrassent, sed etiam quanta fere fuisset incolarum hujus regionis frequentia. Atque in ea re perficienda potissimum duce et auctore luculento certoque usi sumus Herodoto, qui ad Artemisium octo, apud Salamina decem naves Epidauricas exornatas in Graecorum classe fuisse punitavit, dum eodem tempore omnes cives militari aetate armis captis ad Isthmum tuendum domibus suis profecti essent, metuentes, ne Isthmo occupato inde Persis iter in Peloponnesum pateret. Ante Thermopylarum fauces quidem nullos dimicasse Epidaurios ex Herodoti aliorumque scriptorum reticentia suspicamus; at in Plataeo campo octingenti in aciem descendi Bactriisque oppositi victoriae laudisque egregiae participes et socii exstiterunt.<sup>75)</sup> Quae de hac pugna et de auxiliis a diversis Graeciae gentibus missis Herodotus narravit, ea licet a nonnullis ut ementita, falsa plenaque erroris refutata sint, tamen illis aliis in rebus profecto fide dignis certisque hac in re fides nequaquam tribui potest, quum et aetate longe posteriores atque haud scio an ejusmodi scriptores sequuti sint, quorum magnopere interfuerit, ut de gloria aliis gentibus debita detraherent, ut eo majore laude bellica Athenienses afficerentur, et Pausanias de eadem ipsa re consentiat cum Herodoto atque praemium suscepti laboris gentibus ab hoc auctore commemoratis (inter quas Epidauriis) non denegaverit.<sup>76)</sup>

<sup>74)</sup> Addimus memorabilem apud Paus. locum (II, 32, 186 sqq.) ignorantes, quae necessitudo his deabus cognominibus a Troezeniis cultis intercedat cum illis Epidauriorum *daemonibus*. Haec fere ap. Paus.: De Damia vero et Auxesia (nam suus etiam illis apud Troezenios honor est) longe alius est quam Epidauriorum et Aeginetarum sermo; venisse enim virgines ex Creta quumque civitas tota seditionibus laboraret a concitata multitudine ipsas etiam lapidibus obrutas. Festum quidem in ejus rei memoriam diem celebratum Lapidationem nominant. Fortasse inde conjici potest, dearum cultum ex insula Creta in Graeciam propagatum fuisse.

<sup>75)</sup> Herod. VIII, 1; 42; 72. Secundum Diodor. XI, 65. Argivi decretum fecerant, Lacedaemoniis ad Thermopylas nihil suppetiarum ferendum esse, nisi partem aliquam imperii concessissent; quare soli Mycenaei ex omnibus Argolidis incolis Lacedaemoniorum militiae se adjunxerunt. Ne tamen credas, Epidaurios cum Argolide colluisse auxiliaque Lacedaemoniis denegasse; fortasse alio loco Persis oppositi fuere aut ab ipsis Lacedaemoniis domi manere jussi. (V. Paus. II, 16, 146. Her. IX, 28; 31.

<sup>76)</sup> Scriptores, qui plurimas ab Herodoto nominatas gentes pugnae Plataeensis participes non fuisse contenderunt, hi sunt: Plutarch. de Herodoti malignit. Vol. IX, p. 459. ubi narravit, quae rumor ad eum pertulerat. Idem in Vita Aristid. Vol. II, p. 523. C. 19 sqq. eandem rem accurratius tractavit. Lysias in laudat. funeb. §. 107.; Diodor. XI, 32 et Herodotus

Quae cum ita sint, inito numero navium copiarumque ab Epidaurio missarum et cum subsidiis ab aliis civitatibus parem in Graecia locum tenentibus patriae paratis collato, non possumus facere, quin Epidaurios, quod tam libenter capitis et fortunarum periculum adierint pro Helladis salute, tantum non majores contentiones quam pro civium numero et civitatis tenuitate facientes, admiremur meritamque iis laudem tribuamus. Quod vero ad familias attinet, earum duo millia numero fortasse habuit Epidaurus, dum omnes incolae ad calculos vocati ad triginta millium numerum effecisse videntur.<sup>77)</sup>

Ut tantum impensae sumptuumque in exercitu navibusque comparandis ponerent et pro viribus quantum maximum adjumentum ad hostes praecipites exturbandos propugnatoribus Graeciae, Lacedaemoniis et Atheniensibus, afferrent, praecipue Epidaurios aliasque Argolidis gentes impulsisse videntur odium in Argivos susceptum, qui voluntati caeterorum Graecorum non assentientes, quum Lacedaemoniorum quoque potentiae inviderent, cum Persis inierunt societatem.<sup>78)</sup>

Neque tamen magnum ex hoc bello acceperunt detrimentum Epidaurii et si quae civium damna facta erant, ea brevi tempore post Tirynthii suppleverunt, qui pari odio atque aliae vicinae urbes in Argivos inflammati, ne Argos coacti in servitutem redigerentur, urbe sua derelicta pars Epidaurum pars in Dryopum fines sese contulerant. Namque Argivi, quorum maxima pars civium in bello cum Cleomene, rege Spartanorum, gesto perierat, ut jacturas factas resarcirent numerumque civium complerent, urbibus finitimis expugnatis incolas Argos deducere conati sunt; inceptum tamen et conatus eorum irrita fuere, quoniam plurimi sedibus suis ejecti alii alio confugerunt.<sup>79)</sup> Accessit, ut valde deterriti injuriis acceptis ac metuentes, ne perpetuo iis onerarentur ac vexarentur, quum praeterea a populari Argivorum civitate abhorrerent, subita defectione facta, qua quoque spes unquam principatus in Peloponneso adipiscendi Argivis fuit adempta, cum Lacedaemoniis societatem fecerint, quibus in bello maximo, quod diu tacite obscureque paratum dein inter civitates populares et eas, quae summam omnium rerum administrationemque primoribus concesserant, summa cum atrocitate est gestum, omnes atque in primis Epidaurii usque ad finem fidi permanserunt, hostibus quoquo modo et ubicunque poterant acerrime instantes, praecipue vero, ne socios suos firmo praesidio tegere possent, Argivorum vires continuis incursionibus distinentes.

Ita effectum est, ut, quum Corinthii cum Atheniensibus armis decertarent, Epidaurios expe-

---

ipse IX, 85 memoraverunt, nonnullas gentes proelio non interfuisse, sed de nomine earum reticent. In dextro autem basis latere signi Jovis, quod Olympiae fuit, earum civitatum nomina incisa erant, quarum forti opera eo proelio prospere pugnatum est; atque in numero earum quoque Epidaurii relati. Sunt tamen, qui ne huic inscriptioni quidem fidem habeant, ex fraude nomina incisa rati ab iis populis, qui erubuerint se a pugna abfuisse: quod ut credant adducuntur illa re, quod (Herodoto monente) ab iisdem gentibus Plataeis inanibus tumulis tellus aggesta fuerit. V. Herod. IX, 85. De inscriptione signi Jovis, Paus. V, 23, 437. VI, 10, 476. De signo Apollinis, quod Epidaurii de Medorum manibus Delphis posuerunt, id. X, 15, 833.

<sup>77)</sup> Et frequentiae aliarum regionum, inprimis Spartaee et Argivorum urbis, ratione habita atque copiarum, quae hae civitates in expeditiones diversas educebant, numero subducto et cum Epidauriorum viribus comparato, hanc summam Epidauri incolarum effecimus.

<sup>78)</sup> Argivorum urbs jactura fortissimorum virorum facta desolata et infirmata (Herod. VI, 8; 79.) usque tamen ad principatum in Peloponneso obtinendum summo studio annitebatur maluitque sub Persarum jugum mitti quam Spartaee imperiis obedire (Her. VII, 146. 151—152.) Quae tamen promiserant, se iter Peloponnesiorum per Isthmum prohibitos, Mardonio non persolverunt, (Her. IX, 12.) et per legatos tantum certiore eum fecerunt, Peloponnesios esse profectos. Nimirum urbes Argolicae eam ob causam odio infestiori in Argivos flagrabant.

<sup>79)</sup> Tiryns et Mycenae dirutae Olymp. LXXIX, a. I. — Paus. II, 25, 169. Diod. Sic. XI, 65. Her. VI, 83. Plut. γυν. ἀρετ. Vol. VII, 11.

ditionis socios haberent; et quamvis tribus proeliis devictorum debilitatae ac prope fractae opes videntur,<sup>80)</sup> tamen brevi post ex cladibus emersi Epidaurii, ubi primum occasio ad detrimentum Atheniensibus inferendum se praebuit, eam cupidissime amplexi alio loco hostium potentiam labefactare studuerunt. Namque eorum forti opera aliorumque sociorum adjuti Megarenses ab Athenis desciscunt praesidio Atheniensium trucidato.<sup>81)</sup> Tredecim annis post denuo Epidaurii societate cum Corinthiis facta, qui Epidamniis oppressis auxilium laturo erant, quinque naves exornaverunt; sed quum expeditio haec perniciose et ipsis et sociis fuisset et clades acceptae haud dubie opes domesticas attrivissent aerariumque attenuassent, ad novae expeditionis comparationem nihil contulerunt.<sup>82)</sup>

Jam, quod tam alacri animo fidem sociis praestitissent, in eos gravius vindicandum esse acerrimasque ob eam rem repetere ab iis poenas statuerunt Athenienses; ita ut civitati ipsi Epidauriorum, qui ex superioribus expeditionibus nihil nisi calamitates domum retulissent, praesertim quum inconcussi in fide Lacedaemoniorum starent neque eos quidquam a societate hac avertere posset, interitus pararetur.<sup>83)</sup>

Itaque factum est, ut primis duodecim annis belli Peloponnesiaci gesti in tantas se dimicationes objicerent eorumque fines adeo infestarentur, ut nonnisi summa constantia virtuteque ex medio excidio et a miseria funestissima eripi possent. Classem enim centum et quinquaginta navium Pericles, supplicium de Epidauriis sumpturus, ad eorum fines appulit et maximam terrae partem depopulatus urbem ipsam est aggressus; sed quum re saepius tentata labores ejus in irritum cecidissent fortesque cives hostes a muris pluries repulissent, re infecta discessit.<sup>84)</sup> Nec tamen laxamenti quidquam Epidauriis datum ab hoste; nam Corinthiis superatis Atheniensium classis rediit et Chersoneso Methana occupata praesidioque imposito inde fines civitatis denuo incursionibus atrocissime vastari coepit.<sup>85)</sup>

Quodsi Epidaurii, ad labores belli ipsi impigri, in finibus suis totam fere molem belli sustinebant, Lacedaemonii, quibus ab omnibus Peloponnesiis in bello propulsando principatus datus erat et quorum magnopere interesse debebat, ut ejusmodi socios sibi magis magisque devincerent, etiam praemia laudis fructusve cum iis pro singularibus eorum meritis communicare non dubitabant; et si quid accidit, quod majoris consilii esset aut si de quo incepto vel de foedere ineundo agebatur, per legatos sententiam suam aperire et pronuciare Epidauriis licuit. Quare cum indutias in annum facturi essent Lacedaemonii cum Atheniensibus, Eupaïdae filius, Amphion, Epidauriorum civium nomine conditiones, in quas indutiae fierent, conscriptas ratas habuit.<sup>86)</sup>

Atqui mox fides et amicitia Epidauriorum gravius tentata maximaque gloria inde capta, quod id modo quaerentes, si res qua majori parti aut in summam prodesset nec ullius rei amplius unquam, ne injuriarum acceptarum quidem, ratione ulla habita, quum aliae civitates susceptum officium et

<sup>80)</sup> In hoc bello tria proelia navalia sunt commissa; primum ad Halias, haud procul ab insula Hydra, ex quo Corinthii et Epidaurii superiores discesserunt; alterum ad Ceeryphaleum, in quo fusi sunt. Dein exortum est bellum inter Athenienses et Aeginetas, a quibus Peloponnesii steterunt. V. Thuc.

<sup>81)</sup> (a. 446. a. Chr. n.) Thuc. I, 114. cf. I, 103.

<sup>82)</sup> Thuc. I, 27. 30. In altera expeditione nullam Argolicam urbem sociam Corinthiorum fuisse patet ex Thuc. I, 46.

<sup>83)</sup> Thuc. II, 29. a. 1.

<sup>84)</sup> Thuc. II, 56. Plut. Pericl. I, p. 661. C. 35. narrat: ἐκπέουσας δ' οὖν ὁ Περικλῆς οὐτ' ἄλλο τι δοκεῖ τῆς παρασκευῆς ἄξιον ὁρᾶσαι πολιορκήσας τε τὴν ἱερὰν Ἐπίδουρον ἐλπίδα παρασχοῦσαν ὡς ἀλωσομένην, ἀπέτυχε διὰ τὸν νόσον, κ. τ. λ. Diod. Sic. XII, 43.

<sup>85)</sup> Thuc. IV, 42—45. Diod. ibid.

<sup>86)</sup> Thuc. IV, 118 sqq.

causam communem desererent, ipsi solique non dubitabant, an pro fide erga Lacedaemonios, quid fors belli tulisset, pati deberent. Res haec vero ita se habuit.

Lacedaemonii tribus annis post quam pacem annum cum Atheniensibus fecerunt, novum foedus cum his inierant ne consultis quidem Peloponnesiis, qui de ea re certiores facti quum neque conditiones foederis probarent easque sibi potius perniciosas fore putarent, injuria libidinosa exacerbati vehementissimo odio in auctores foederis ferebantur.<sup>87)</sup> Animis igitur perturbatis atque inter suspicionem et metum et indignationem iramve fluctuantibus, quod Lacedaemonios sociorum proditores ducebant, ad quos delendos cum ipsis hostibus amicitiam junxissent, quum Corinthii foederatas civitates, ut de perfidis supplicium sumeretur, ad arma vocarent,<sup>88)</sup> et Argivi ad rebellionem spectarent<sup>89)</sup> et Tegeatarum animi labarent,<sup>90)</sup> Orchomenii<sup>91)</sup> et Epidaurii soli constanter rebus consiliisque Lacedaemoniorum favebant. Quo facto cum socii ipsi adeo sententiis distinerentur aliisque aliter placeret et Corinthiis in terrorem quendam repentinum ac tumultum coniectis Lacedaemonii et Athenienses invicem sibi diffiderent, Argivi ad hos defecerunt et societate hac freti et adjuti Eleos et Mantineam sibi adjunxerunt. Tum quoque Corinthii cum Lacedaemoniis in gratiam redire et quoniam Epidaurii sibi constabant, Argivi aestate anni II Olymp. LXXXIX inita per fines eorum late vagantes agros depopulabantur,<sup>92)</sup> causam interponentes, Epidaurios intermisisse sacrificium, quod nomine cujusdam regionis ad fluvium quendam sitae offerre debuissent.<sup>93)</sup> Ea certe causa dissimulata permultum ipsorum et Alcibiadis interfuit, ut Epidaurios quam primum possent sibi conciliarent, ut et a Corinthiis tuti essent et Athenienses ab Aegina insula proxima via excursiones facere et Scyllaeum promontorium praetervehi possent. Quantum igitur momentum parva Epidauriorum civitas in utramque partem habere potuerit quantamque operam sociis suis Peloponnesiis navaverint fide sua constanti, ex hac una re colligi potest.

Argivis ingressis agrosque populantibus Epidaurii nequidquam auxilia implorantes sociorum, quorum nonnulli sacrum mensem excusabant, alii signis motis nihil aliud quam in confinio Epidaurii consistentes otiosos se rerum spectatores praebebant,<sup>94)</sup> parumper dein miseris levati quum aucto-

<sup>87)</sup> id. V, 17. <sup>88)</sup> id. V, 27. <sup>89)</sup> id. V, 41. <sup>90)</sup> id. V, 62—63. <sup>91)</sup> id. V, 61. <sup>92)</sup> id. V, 53 sqq.

<sup>93)</sup> ibid. Deum Dores Apollinem, ubi in Peloponnesum invaserunt, maxime colebant, quippe cujus ductu et auspicio in eas regiones venissent. Plurima autem habuit cognomina ex rebus temporibusque inventa, in quibus Pythaei Apollinis, Pythaeus vero heros idemque forsitan deus Apollo habendus est, quem Telesilla monente Pausania Apollinis filium, qui Delphis in Peloponnesum profectus cultum patris propagasset et Argos primum, quem adisset, locum fuisse dixit. Plurima igitur ejus templa et simulacra fuerunt, quorum nonnulla Pausanias commemorat. II, 35, 194; 24, 165. III, 10, 231; 11, 233. a. l. — Quod vero ad Apollinem Pythaeum attinet, cui secundum viam, qua ad arcem Argorum urbis ascendebatur, templum erat, ejus praesidio concilia Argolicarum urbium habebantur vetustioribus temporibus, dein autem quum jam non penderent ex arbitrio Argos urbis, tantum ne religionem violarent, sacrificia quaedam in honorem dei offerebant. Pro regione igitur quadam ad fluvium quendam sita (*ὕπερ παραποταμίων*) Epidaurii quoque sacrificium vel hostiam potius in templum Apollinis abigere debebant, quod cum facere neglexissent, bellum iis ab Argivis indictum. Interpretes ad Thuc. V, 53. qua ratione in animum inducere potuerint, templum hoc in Asinaeorum finibus fuisse, non intelligo; quibus si illud ex superlativo *χωριώτατοι* apparere videtur, nescio templum ita situm fuisse censuerint, ut in confinio maxime Argivorum, dein quoque Asinaeorum aliarumque gentium Argolicarum fuisset, (quam tamen opinionem ea redarguunt et refellunt, quae de finium Epidauriorum latitudine initio diximus) an majorem aliquam causam respexerint. Egoquidem illa Thucydides: *χωριώτατοι δὲ τοῦ ἱεροῦ ἦσαν Ἀργεῖοι* ita intelligo, ut non de situ templi esse sermonem putem, sed de loco primario, quem Argivi in deo venerando sacrificiisque in ejus honorem procurandis antiquitus obtinuerint et tunc sibi sumserint. Quae vero regio illa ad fluvium sita fuerit nescimus, quum in eo nos ipse Thucydides destituerit. Diodor. XII, 78; ut multa alia, ita haec quoque perverse narravit, qui Argivos Lacedaemoniis propter sacra ex more Apollini Pythio non reddita accusatis bellum indixisse narraverit. (Apud Diodor. deus vocatur *Ἀπόλλων ὁ Πύθιος*, apud Thuc. *Πυθαῖος*, *ἕως* dorica forma.)

<sup>94)</sup> id. sqq.

ribus Atheniensibus omnium civitatum legati ad pacem conficiendam convenissent et Argivi, ut colloquia haberi possent, decedere et deducere exercitum ex finibus Epidauriorum cogentur, haud ita multo post novas tempestates calamitatesque subierunt, quas quum movisset tum auxit etiam ea res, quod insequenti hieme inscientibus Atheniensibus Laedaemonii firmum praesidium foederis conditionibus violatis duce Agesippida mari Epidaurum devexerunt. Quapropter inter Epidaurios et Argivos, qui aut levibus proeliis sine ullo satis certo eventu invicem se lacescebant aut ex insidiis in adversariorum stationes incursabant, bellum continuum gerebatur, donec hieme exeunte quum ver anni III Olymp. LXXXX appropinquaret Argivi exercitu urbi admoto operibus ac machinis simul undique moenia aggredi coepissent, spe ducti, se urbem viris denudatam facile oppressuros. Verumtamen cum urbis incolas summa ope ad eam defendendam paratos viderent, ab omni spe destituti irriti incepto obsidione abscesserunt; nihilo secius agros Epidauriorum, quibus nemo sociorum auxilio aderat, impune vastantes.<sup>95)</sup> Tandem laborantibus Laedaemonii succursuri, ne ultimum quoque eumque fidissimum socium ignavia sua inexpiabili amitterent, dum usque ad id tempus aliis atque aliis de causis auxilia differebantur, duce Agide undique contractis viribus impeditioribus locis itinere facto in campum Argivorum descenderunt. At cujus hostis delendi oblata fuerat fortuna, cum eo Agis pacem in tres menses composuit; qua re perpetrata et sociorum animos ita exacerbavit, ut omnes domos redirent, et ipse prodicionis accusatus Spartam revocatus fuit. Absolutus tamen crimine et neglecta refecturus brevi post proelio justo et cruento in campis inter Mantineam et Tegeam patentibus Argivos fudit et fugavit, dum Epidaurii pridie ejus diei, quo pugna haec commissa, omnibus copiis in Argivorum terram indefensam ac denudatam traductis singula praesidia relicta trucidaverant. Nec tamen his rebus gestis molestiae Epidauriorum depulsae, quoniam tria millia Eliorum et mille Athenienses, qui sociis suis inter Tegeam et Mantineam superatis subventuri erant, cladis nuncio accepto confestim signis versis Epidaurum oppugnatum profecti, quum Laedaemonii Carneia agerent, urbem operibus claudere coeperunt. Quod cum Atheniensibus solis successisset, reliqui autem rem inchoatam turpiter destituissent, in alto praecipitique promontorio, in quo templum Junonis imminebat, praesidio firmo imposito, quod urbem urgeret et obsessam teneret, omnes domum sunt reversi. Ineunte vero hieme Laedaemonii versari in summis angustiis Epidaurios haud ignorantes, ut inopiam eorum minuerent ac levarent, de pacis conditionibus cum Argivis consultaturi ad eam factionem, quae populari civitati non favebat quamque amicissimam sibi habebant legatis missis pacem coagmentaverunt compluribus conditionibus, quarum prima: discederent ab Epidaurio operaque destruerent Argivi; sin Athenienses abire nollent, a Laedaemoniis et Argivis et utrorumque sociis pro hostibus haberentur. Quod vero ad sacrificium attineret, quod deo Apollini deberetur, si placeret ipsis, jusjurandum in Epidaurios transferrent, sin minus, ipsi jurarent. Acceptis conditionibus Argivi cum Laedaemoniis pacem in quinquaginta annos composuerunt legatisque missis ab Atheniensibus postulaverunt, ut ex munitionibus in promontorio exstructis praesidia educerent. Athenienses quidem ratione reliquorum praesidii sociorum habita quum suos nullo esse numero cognovissent Demosthenem miserunt, qui copias educeret, sed hic, ne imperio Argivorum audiens esse videretur, reliquis sociis digressis portas castelli clausit et pacto cum Epidauriis separatim convento illud tradidit.<sup>96)</sup>

Ita re ad otium deducta Epidaurii, quum jam nulla belli mala, donec gerebatur, ipsos domi urgerent, pace felici fruebantur resque eorum inclinatae paulatim in pristinam dignitatem restitui po-

<sup>95)</sup> id. V, 60 sqq.

<sup>96)</sup> Thuc. V, 70—80. Quod attinet ad illa corrupta apud Thuc. V, 77. verba: *περὶ δὲ τῷ αἰῶ σόματος εἶμεν λῆν τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὄρχον, δόμεν δὲ αὐτοῖς ὁμόσαι* sequitur sum Ahrensii conjecturam, qui ex librorum ductibus literarum eruit: *περὶ δὲ τῷ αἰῶ σόματος, αἱ μὲν λῆν, τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὄρχον δόμεν, αἱ δὲ, αὐτῶς ὁμόσαι.*

terant; sociis tamen foederis memores, si aut imperatum erat aut tempus postulabat, fortes instructasque civium manus usquequaque auxilio mittere non neglegebant.<sup>97)</sup>

Jam vero, quod res singulas minutasque in bello hoc ab Epidauriis gestas attigimus pertractavimusque, id eo consilio potissimum factum putes, ut ostenderemus, et quas partes egissent (easque infimas fuisse jam neminem contenturum opinor, quum quantum momenti in alteram partem collocati ad rerum temporumque formam immutandam attulissent animum animadverterit), et quantam constantiam adhibuissent ad eundem reipublicae statum a majoribus traditum servandum.

Atque fidem amicitiaeque cum Lacedaemoniis contractae jura non modo in dubiis periculosissimisque sociorum temporibus non deseruerunt, sed ne tum quidem, quum Graeci cuncti erepta libertate in fidem ac potestatem Macedonum venissent. Quae cum ita sint, non est quod mireris, eos Lacedaemoniis bellum Elidi inferentibus subsidia misisse<sup>98)</sup> sociosque eorundem exstitisse in Corinthiaco vel Boeotico primo bello.<sup>99)</sup> Item cum a Zaenynthis contra Athenienses arma moturis Lacedaemonii auxilium rogati classis exornandae causa sociis naves imperassent, Epidaurii compluribus navibus impigre armatis illorum dicto paruerunt;<sup>100)</sup> et paucis annis ante hanc expeditionem in Boeotico altero bello cum iisdem steterunt, eo libentius armis strenue captis, quod Lacedaemonii animos nonnullorum sociorum ad defectionem concitatos animadvertentes familiaritatis ac beneficentiae studio, quoniam eam rem magni momenti futuram credebant ad conciliandos sociorum animos, quidquid eorum iis adhuc reliquum erat, sibi artius adstrinxerant.<sup>101)</sup> Jam quid memorem, Epidaurios, cum sub idem tempus in plerisque civitatibus reipublicae forma immutaretur, nihil de suae reipublicae forma mutasse; neque segnius quam unquam antea contra Thebanos cum Lacedaemoniis in aciem descendisse. Et virtus quidem eorum et constantia adeo hoc bello eluxit, ut, etiamsi prohibere non possent, quominus fines eorum igni ferroque vastarentur, summum ducem tamen illius aetatis Epaminondam ab urbis et munitissimae et fortiter defensae moenibus repulerint et, quum plurimi socii ad Thebanorum societatem se inclinarent, Lacedaemonios pugna Leuctrica devictos ac prope fractos non deseruerint.<sup>102)</sup>

Libertate vero Graecorum exstincta et oppressa non minus patriae studiosi quam Lacedaemoniorum et Agidem contra Antipatrum dimicaturum sunt sequuti et, quum Leosthenes contra Macedones rebellaret, Lacedaemonii autem huic adjungi nollent, arma vix posita sumserunt.<sup>103)</sup> Quae quidem eorum fuerit conditio et qui locus, quem proximis deinceps temporibus tenuerint, quum res Graecorum bellis afflictae, discordia perturbatae ac percussae essent, id ex iis, quae apud rerum gestarum scriptores annotata sunt, ne conjici quidem potest; idquem solum compertum habemus, Epidaurios ad Achaeorum quidem concilium accessisse sed descivisse ad Lacedaemonios, quum rex Cleomenes Corinthum expugnasset.<sup>104)</sup>

Denique quum in Romanorum jus ditionemque concessissent Graeci, Epidaurus, ut reliquae nobiles Graeciae urbes, quae divitiarum plenae monumentisque antiquissimis ornatae erant, paullatim omnibus his rebus spoliata inanitate ac vacuitate sua crudelitatem victorum accusantis speciem prae-

<sup>97)</sup> Ad Aegos flumen Epidaurios Lysandro operam suam navasse ex Paus. X, 9, 820. liquet.

<sup>98)</sup> Olymp. XCV, 1. Xenoph. Hell. III, 2, 18.

<sup>99)</sup> Olymp. XCVI, 3. Hellen. IV, 2, 9.

<sup>100)</sup> id. Hell. VI, 2, 3.

<sup>101)</sup> Diod. Sic. XV, 31.

<sup>102)</sup> Xen. Hell. VI, 5, 30, VII, 1, 7; 2, 3. Diod. Sic. XV, 69.

<sup>103)</sup> Diod. XVII, 63. XVIII, 11—19. Paus. I, 25, 60.

<sup>104)</sup> v. annot. n. 4.



bebat. Nam ne Aesculapii quidem clarissimo signo pepercisse Romani videntur<sup>105)</sup> atque, quaecunque imperator Sulla ex dei templo foedissimo raptu non abstulerat, ea Pompeji Magni aetate praedones diripuerunt, ita ut regio haec celeberrima ab omnibus rebus, quibus ornata fuit quibusque delectabantur, quicumque ejus visendae causa has Peloponnesi partes adierant, vacua ac nuda esset, donec Antoninus Pius magna ex parte saltem in antiquum statum pristinumque splendorem eam restituere est conatus.<sup>106)</sup>

<sup>105)</sup> De Agdistide Pessinunte religiosissime culta disputans Strabo XII, 5, 3. dicit: ἐπιφανὲς δ' ἐποίησαν Ῥωμαῖοι τὸ ἱερόν, ἀφιδόρυμα ἐνθ' ἐνθ' ἐθεοῦ μεταπεμφάμενοι κατὰ τοὺς τῆς Σιβύλλης χρησμούς· καθάπερ καὶ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τοῦ ἐν Ἐπιδαύρῳ.

<sup>106)</sup> Liv. XLV, 28; dicit de urbe Epidauro, quam L. Paullus a. U. c. 585. adiit: inde (adit) haud parem opibus Epidaurum, sed inelytam Aesculapii nobili templo, quod ..... nunc vestigio revulsorum donorum, tum donis dives erat, etc. De eadem re frgm. ap. Suidam s. v. βάρως. Plut. Sulla. C. 12. Pompej. III, p. 754. C. 24. V. ann. n. 48.

## CORRIGENDA ET ADDENDA.

- Pag. 9. l. 8. pro: aut aedituos, serb. aedituos aut.
- Pag. 19. l. 24. pro: descensi, serb. descensuri, et post hoc vocabulum addenda, quae ommissa sunt, verba: haud minore quam ceterae Graeciae gentes vincendi cupiditate flagrabant.
- Pag. 11. ad annot. 46. addendum: Epidauros quoque ad Olympia proficisci consuevisse inde patet, quod saepius ibi victores exstiterunt; atque Olymp. XVII Polus quidam, XLIII Olymp. Cleon et XLV Olymp. Anticrates, Epidaurii, de iudicium sententia coronati. De Icco Epidaurio in pugilatu a Cleomede Astypalaeensi interemto (LXXIII Olymp.) v. Paus. VI, 9, 474.
- Pag. 11. ad annot. 50.: Civis Epidaurii vocabatur: ὁ πολίτης Ἐπιδάουρος, Ἐπιδάουριώτης. Femin. Ἐπιδάουρις, Ἐπιδάουρία. Conf. de hac re Steph. Byz. s. v. Ἐπιδάουρος et Etymol. Magn. 358, 34 sqq.
- Pag. 12. ad annot. 56.: Strabo VIII, 8, 5. Aegaeum (Agraeum?) cum Deiphonte Acten occupasse narrat; qui tamen locus corruptus in nonnullis codicibus plane deesse dicitur.
- Pag. 13. ad annot. 57.: De colonia ab Epidauriis Samum deducta v. Jamblich. Pythag. 2. Mueller. Aeginet. p. 98.
- Pag. 20. ad annot. 79.: Strabo quoque in l. VIII, 6, 1. narrat, plerasque urbes Argolicas Argivos ob rebellionem habitatoribus nudasse et Tirynthiorum partem magnam Epidaurum demigrasse.
- Pag. 24. ad annot. 103.: Diod. Sicul. XVII, 113. memoriae prodidit, inter legationes Graecas ad Alexandrum Babylōnem missas quoque Epidauriam sacrorum causa venisse (ὅπερ τῶν ἱερῶν παραγενημένοι).